NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
9 C
46

MC. 19. a.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE JVRE SAECVLARI ROMANORVM PONTIFICVM

M. ANTONII MARCELLI VENETI PATRITII, ET SENATORIS

LIBER.

CVI ADIECTVS

INGENVVS ET LIBER

DISCVRSVS

Contra

ELATIONEM ET POTESTATEM temporalem Papæ

Pro

DEFENSIONE REGIS NOSTRI CHRISTIA-niſſimi, & Immunitatum Eccleſiæ Gallicanæ.

NVNC PRIMVM EX GALLICO (NVPERRImè publicato) in latinum idioma translatus ac editus.

FRANCOFVRTI,
Typis Caſpari Rötelij, Impenſis Ioannis Beyeri.
M. DC. XXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

WOLPHGANGVS CRVSTEHENIVS THEODO-RICO RVPERIO

S. P. D.

INTONAT apud Inferos Virgiliano carmine Phlegyas,

Diſcite iuſtitiam moniti, & non temnere Diuos.

At mihi ſi ſtentorea vox eſſet, & centum ora, & totidem linguæ, pietate longè maiore apud ſuperos inclamarem, Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Ex quo enim Marci Antonij Marcelli de Iure, & Actionibus Eccleſiæ librum legi, mihi adeò contorſit animum dolor, & ſtomachum in Principes aliquos, alieni detentores, indignatio mouit, vt, ni, quod intus æſtuat, expromam, mœrore contabeſcam. Quin imò ſiluiſſe hactenus mihi Religio viſum eſt. Non tacui tamen ſemper, at interdum,

Verbis odia aſpera moui.

Atqui odium trabeatorum, & ſeptrigerorum me de ſententiâ non deiecit; quippe

iuſtum, & tenacem propoſiti virum,

& Romano Pontifici in primis eò magis addictum, quò Germania

noſtra hoc vndiq; vehementius criminatur, & execratur, ſed hoc me potius impulit, vt librum hunc, hucuſq; ſilentij latebris obrutum, euulgarem, qui longè, latèq;, & quò raucedo noſtra peruenire non poterat, Dominij Eccleſiaſtici amplitudinem deferret. Non enim ſine diuino numine factum eſt, vt noſtras in manus inciderit, cum præter ſpem omnem, nec opinato, aliudq; penitus cogitanti euenerit: Quod vt non te lateat, optime Ruperi, cui mea omnia, me ipſumque debeo,

Paucis aduerte, docebo.

Venetias contendebam, & inclytam ad illam vrbem, verè vnicum orbis miraculum eorum omniũ, quotquot ſunt, quotquot fuerunt, & quotquot aliis in annis erũt; me lyntre meritorio Medoacus aduehebat. Ibidem conſederat Monachus è Diui Dominici familia, & ex ipſo Gemellorum, quod Veneti de Sancto Ioanne, & Paulo vocant, Monaſterio. Libro ille, quem manibus tenebat, ſtudioſè oculis hærebat, ac ſi, non inclamoſa hominum petulantium frequentia, vt ſemper genus illud nauium ſcatet, agitaretur, ſed in cellulæ ſolitudine deliteſceret. Acceſſi cupidus, & ſenſim, blandeq, legentis beneuolentiam aucupatus, quid libri, dein illud eſſet percontatus ſum. Ille ſciſcitantem, agnito aduena, humaniſsimè excepit. Liber iſte, reſpondit, de Iure Pontificum Romanorum agit. Ab auctore, cum naturæ debitum, ſeptuaginta iam natus annos, perſoluiſſet, ad Hieronymum Capellum Patritium pariter Venetum teſtamento decidit; ab hoc in noſtrum defluxit Cœnobium. Auctor M. Antonius Marcellus fuit, genere inter Patritios, apprimè cõſpicuus, morum candore penè priſco, fide in Patriam, pietate in Deum inſignis, qui pede innocuo, valido tamen, Magiſtratus omnes

mnes

mnes Vrbanos prætergreſſus, ad ſenatoris ordinarij munus denique conſcendit: Cuius ad dignitatis faſtigium, eorum, qui perueniunt, plurimi animo conquieſcunt, nec vltra euadere elaborant, vtpotè elati eò, vbi tantùm de rebus maximis, quæ Remp. attingunt, decernere ius, & fas. Audito Monacho ardens me inuaſit cupiditas librum illum vorandi, nedum voluendi. Primò igitur Monachum comitate, & illecebris circumire; tum precibus, & pollicitationibus obſtringere, orare, obſecrare, vt commodet; Sacramento deuinciri, me poſt triduum, aut quatriduum ad ſummũ reſtituturum. Quid plura? Obtinui. At cum opus olfeciſſem: nunquam amittendum, aut prorſus demittendum ſum ratus. Nocte igitur, dieq; perpetui laboris iugo alligatus, illum quatuor dierum curriculo à vertice ad calcem calamo excerpſi. Theſaurum hunc fortuna, ſagacitate, & ſedulitate mea partum in ſinu per tempus aliquod geſſi, & mirificè foui. At denuò conſilium longè melius viſum fuit, typis illum, & prælo committere, & ſub hominum ora, & aſpectum emittere. Hinc enim gentes vniuerſæ palàm animaduertent, quàm longe ab æquitate aberrent, & quantam iuſtitiæ notam inurant Principes ij, qui nil magis vſquam ſtudent, quam aliquid in dies de Dominij Eccleſiaſtici iure deterere; ne dũ ea, quæ per vim, atq; nefas extorſere, Pontifici reſtituere meditẽtur. Quoniam verò inſtitutum hoc noſtrum Regibus, & Principibus minime arriſurum puto, libellum ipſis dicare eſſet crabrones vehementiùs irritare. Tibi igitur illum, optime Ruperi, homini priuato lubentiſſime dono, qui tenues infra lares conſtitutus, diademata, & ſceptra ingenti animorum excellentia premis, & conteris. Vale.

IOANNES BEYER
BIBLIOPOLA
Ad Lectorem.

AVSPICATO reor eueniſſe, vt librum, qui ſuperioribus annis mihi forte fortuito occurrerat, ad hæc vſq; tempora typis credendum prorogarim. Cum enim in præſentiarum non leues hac ſuper re ſentiam excitari rumores; hinc illi, qui Pontificio Dominio tenebras offundere, membraq; robuſtiora ab illo diſcerpere elaborant, clariſſimè oculis peruestigabunt, quàm illud infra futiles eorum aſſertiones longè, latèq; pateat.

Wolphgangus Cruſtehenius inter Germaniç eruditiores, vir non ineruditus fuit. Is librum hunc in Italia fato ſecundo acquiſitum, aduerſo in Germania imprimere cogitarat: Ante ſiquidem ipſum operis veſtibulum morte præreptus, bonorum omnium lacrymis, aliò tetendit; nullis liberis, nullis hæredibus relictis, inſtitutisve. Homine adempto, res omnes, ſupellex, bibliotheca vndique diſperſa, direpta, venundata, ſcripta hæc ad me delata. Iacuerunt illa quidem diù noſtris in promptuarijs, vix vlli dè facie, nedùm penitius, & introrſus cognita. Sed nuper exempta, euoluta, lecta doctiſſimorũ quorumcunq; aciem, animumq; in ſe primò conuerterunt, mox in admirationem ſuſtulerunt. Quorum ego perculſus iudicio ferre diutiùs non potui, vt prælum euitarent. Habes igitur ea, Lector, quæ tibi modò ad Veritatis metam viam ſternant. Egregias Auctoris lucubrationes ſuſpicito: Cruſtehenij animum amato; laborem meum benè conſulito. Valeto. Francofurti.

ELEN-

ELENCHVS CAPITVM, QVÆ HOC TRACTATV CONTINENTVR.

Cap. I.	*Auctoris conſilium, & mens in libri compilatione.*	1
II.	*Opinio Genebrardi de magnitudine Imperii Eccleſiaſtici.*	3
III.	*Confutatio opinionis illius.*	4
IV.	*Quid iuris in Gallia antiquitus Eccleſia habuerit.*	11
V.	*Quid in Sicilia.*	12
VI.	*Quid in Sardinia, & Inſulis aliquibus Siciliæ finitimis.*	15
VII.	*Quid in Dalmatia, & Illyrico.*	17
VIII.	*Quid in regno Neapolitano.*	18
IX.	*An prioribus ſeculis Pontifices in vrbe Roma Dominium aliquod præter ſacrorum habuerint.*	20
X.	*De iure, quod Pontificibus in Alpes Cottias competit.*	54
XI.	*De iure, quo Pontifices Romanam vrbem poßident, aliasq; ditiones, ciuitatesque Italiæ.*	57
XII.	*De iure, quo Pontifices tenent Romanum agrum, vrbesq; & oppida adiacentia.*	112
XIII.	*De iure & actione, quam Pontifices habent in Regna Neapolis & Siciliæ.*	117
XIV.	*De iure, quo Pontifices patrimonium S. Petri poßident.*	134
XV.	*De iure, quo Pontifices Auenionem poßident.*	136
XVI.	*De iure & actione, quam Pontifices habent in Tridentinam ciuitatem.*	138
XVII.	*De iure & actione, quam Pontifices habent in ciuitates aliquas Longobardiæ.*	ibid.
XVIII.	*De iure & actione, quam habent Pontifices in regno Arragoniæ.*	140
XIX.	*De iure & actione, quam in Dalmatia & Croatia Regno Pontifices habent.*	143
XX.	*De iure & actione, quam Pontifices habent in regno Rußiæ.*	147
XXI.	*De iure & actione, quam Pontifices habent in Regno Sardiniæ.*	149

XXII.

XXII. De iure & actione, quam Pontifices habent in regno Hieroſolymitano. 151
XXIII. De iure & actione, quam Pontifices habent in regnum Hungariæ. 153
XXIV. De iure & actione, quam Pontifices in Dacia regnum habent. 157
XXV. De iure & actione, quam Pontifices habent in Bohemia regnum. ibid.
XXVI. De eo iure, quod habent in Luſitania regnum. 159
XXVII. De iure & actione, quod habent Pontifices in regnum Angliæ. 160
XXVIII. De iure, quod habent in regnum Suetiæ & Noruegiæ. 166
XXIX. De iure & actione, quod habent Pontifices in regnum Daniæ. 167
XXX. De iure & actione, quam Pontifices habent in Galliarum regnum. 169
XXXI. De iure & actione, quam habent Pontifices in regnum Hiſpaniarum. 171

ELENCHVS CAPITVM TRACTATVS DE POTESTATE PAPÆ.

Cap. I. De Papæ poteſtate. 174
II. De immunitatibus Eccleſiæ Gallicanæ. 189
III. De quibuſdam ædibus, quas Pontifices ad ſuum commodum trahere voluerunt, cum adiuncto Diſcurſu de abſolutione Henrici IV. Gall. Regis. 201

DE IVRE

DE IVRE, VT VOCANT, SÆCVLARI ROMANÆ ECCLESIÆ TAM SVPER IIS, QVÆ poſſidet, quàm ſuper iis, quæ ſibi deberi profitetur.

CAPVT I.

Auctoris conſilium, & mens in libri compilatione.

SVMMVS Pontifex Romanus, abſque hominis vllius controuerſia, præter excelſum ſacrorum imperium, ditiones multas, in Eccleſiaſticorum manum diuerſis temporibus collapſas, eo etiam iure poſſidet, quo cæteri Principes quiſque ſuas. Alias quoq; non paucas ſibi deberi, vel palam in medium affert, vel non iniuria in medium afferre poteſt.

Quoniam autem rationum, cauſarumque multæ vetuſtate obruuntur, quamque earum ex melioris notæ ſcriptis eruere, & ſub mortalium conſpectum erutam conſtituere non erit abs re.

Hîc verò ante omnia Conſtantini Donatio, Pontifici Sylueſtro facta, dubium nõ exiguum animis parit. Namque ex Platinæ, Socratis, & Sozomenis ſententia nil, niſi munera aliqua, cenſusque; ex Martinianis Chronicis nil

niſi quandam decoris externi ſpeciem, dignitatemq; ab omni imperandi iure ſeiunctam, ea eſt complexa. Epiſtola verò, Conſtantini nomine circumlata, qua eius ad Chriſtianam Fidem acceſſus deſcribitur, aſſerit, Romã ipſam & Occidentis prouincias fuiſſe donatas. Id quod ſcriptores omnes prætermiſerunt; ſiue quia id ad eorum cognitionem non peruenit: ſiue quia ab hac eos opinione diuiſio remouit, quam totius imperij, Conſtantino defuncto, vel ex ipſo Patris teſtamento inter ſe filij fecerunt: ſiue quia ſunt arbitrati, Sylueſtrum vt aureo Diademati caput ſubtraxit, ſic rerum tãtarum donationem reſpuiſſe. Nuſquam enim legere eſt, Pontificem ſeſe horum dominatui immiſcuiſſe: Nec vſquam apparet, nouũ regionibus illis dominationis genus fuiſſe inuectum: cũ tamen rei tantæ nouitas tot in regna neutiquam induci potuiſſet, niſi fama id per vniuerſum terrarum orbem peruulgante. At Cardinalis Bellarminus vir temporum noſtrorum doctiſſimus, pientiſſimusque tenet, hanc Donationis ſcriptionem à Græcis Romanæ Eccleſię infenſis, dolo malo inter hominũ manus fuiſſe obtruſam, vt per illam ſimultates, diſſenſionesq; inter Pontifices, & Cæſares ſererentur, atque alerentur.

At nobis quæſtionem hanc ſilentio pertranſire ſatius eſt viſum; tum alijs de cauſis, tum quia fuit hactenus à pluribus, quàm diligentiſſimè excuſſa. Illud attingemus, quod poſt ea ſæcula fuiſſe ab Eccleſia poſſeſſum, vel aliquo iuris titulo acquiſitum, duce Hiſtoria, reperiemus. Iura quidem, & eorum originem in primis colligemus; his deficientibus, vetuſtiſſimam, quoad poterit vlterius indagari, rerum poſſeſſionem. Quandoquidem autem ſcriptorum aliqui, nimio forſan animorum æſtu, nimiũ Eccleſiaſtici dominij fines effuderunt; antequam rem propoſitam aggrediar, quantum veritatis horum huiuſmodi

modi dictis inhæreſcat, eruminabo: Nec, ſi quid falſi occurret, hiſtoricorum auctoritate obiecta refellere verebor: vt, aſſentationis ſuſpicione fugata, verum penitiùs, faciliùsque fidem inueniat.

Sed ſi omnia, quæ in hanc rem ſunt ab omnibus cumulata, mihi percurrenda eſſent, longè ab eo breuitatis ſcopo, qui ſubeſt animo, aberrarem. Satis ideò intentioni meæ faciam, ſi Gilberti Genebrardi, recentiorum tēporum auctoris ſcripta perpendam, qui cæterorum omnium agglomerauit opiniones, excurſionesque.

CAPVT II.

Opinio Genebrardi de magnitudine Imperij Eccleſiaſtici.

GENEBRARDVS dum ſuis in Chronologicis de magno Gregorio agit, qui anno 595. à Chriſto nato Pontificatum ſuſcepit, dumque in hoſtes Eccleſiæ inuehitur, qui Pontificiam auctoritatem Phocæ temporibus exordium duxiſſe impiè effutiebant, firmiter aſſeuerat, Eccleſię patrimonium ante Phocę Imperium fuiſſe ampliſſimum; quippe talis apud Ezechielem promiſſio vigebat *cap.* 48. maiusque forſan, & opulentiùs, quam ho- *Gil. Ge-*
die ſit. *Nam,* inquit ipſe, *vt rectè annotat Nicolaus Cleman-* *neb. anno Chriſti*
gis libello. De corrupto Eccleſiæ ſtatu cap. quarto *Petri* 608.
Patrimonium Pontificum ignauia ſatis iam attenuatum eſt. Fidem facit Gregorius ipſe in epiſtolis, è quibus libuit hîc aliquid, aliquo labore, & diligentia vetus ſedis Apoſtolicæ Patrimonium oſtendere, vt iſtos ſuæ vanitatis pudeat, & maiore tabeſcant inuidia.

Patrimonium Petri in Africa Epiſt. 73. primi libri, *vnde* Epiſt. 59. *Gennadio Patritio, & Exarcho Africæ imperat, vt hoc, illud, & cætera faciat.*

Patrimonium in Neapoli lib. 5 Epiſt. 1.

A 2 Campa-

Campania de ditione eius lib.2.epiſt.40.

Patrimonium in Dalmatia. Ibidem epiſt.41.44.61.

Patrimonium in Galliis lib.5. epiſt.10. ad Candidum, & ep.52.&55.

Hinc in Galliis multos habuiſſe redditus lib.2.epiſt.72. *quos* libro 5.epiſt.5. ad Brunichildam Francorum. Reginam *patrimoniali nomine intelligit, cuius rectorem Candidum ei commendat.* Sic ſequenti epiſtola 6. ad Childebertum Regem Francorum.

Res S. Petri in Gallia. Ibid.epiſt.55.

Patrimonium Siciliæ lib.1.epiſt.2. & epiſt. 68. & 70. *vbi multæ inſulæ de iure Eccleſiæ. Hinc in Siciliam* epiſt. 3. *Petrum Subdiaconum tranſmittit, pro regendo Eccleſiæ* (inquit) *patrimonio.* Et lib.2.epiſt. 76. *imperat Libertino Præfecto Siciliæ, vt Naſam Iudæum corporaliter puniat. Et Diaconus* lib.21. rerum Romanarum. *Sicilia tria talenta, & dimidium auri Eccleſiæ Romanæ pendebat.*

Per Italiam Eccleſiæ Romanæ multi prouentus, è quibus vult aliquid deputari Nolanarum mulierum ſumptibus lib.1.ep.23. *ac Romam Pontificij fuiſſe iuris* lib.5.epiſt.12. *declarat, quando Montanum, & Thomam,* inquit, *liberos ex hac die, & ciues Romanos efficimus. Sardinia de iure Eccleſiæ* lib. 1. epiſt. 60. *Hinc cauſas Catellæ in Sardinia cognoſci vetat, &c. quod repetit* epiſt.6.

De aliis bonis Papatus lege lib.6.epiſt.23. &c.

CAPVT III.

Confutatio opinionis Genebrardi, & primò eorum quæ infert de Aphrica: & quid antiquitus, id eſt D. Gregorij temporibus, in Aphrica Eccleſia poſſederit.

ATTVLI Genebrardi verba, quibus, Pontificia auctoritate omiſſa, de qua ante omnia agendum erat,

erat, ſat obſcurè depromit, patrimonium Eccleſiaſticum priſcis temporibus amplius, & opulentius, quàm recentioribus extitiſſe. Nec tamen hîc de Conſtantini donatione meminit, ſed de poſſeſſione tantùm, qua Romana Eccleſia ante annum 595. rebus inſidebat. Atqui, priuſquam Genebrardi aſſertiones perpendamus, animaduertendum eſt, hoc vocabulo Patrimonium, Hetruriæ partem teſtamento à Matilde legatam Eccleſiæ, ſignificari, quæ *Patrimonium Diui Petri* etiamnum appellatur. Hac autem accepta Patrimonij ſignificatione, prout & ipſemet auctor interdum accipere videtur, non eo inficias, latius olim Eccleſiæ Patrimonium patuiſſe, quam pateat modò.

Præterea Patrimonij vocabulo cenſus, redditusque priuati poſſunt exprimi, quales & antea poſſidebat Eccleſia, vt apud D. Gregorium *epiſt.* 4. *lib.* 9. videre eſt: vbi Alexandro Siciliæ Præfecto commendat Ioannem Diaconum à Martino Rauennate Epiſcopo eò miſſum, vt patrimonij, quod ad Rauennatem Eccleſiam attinebat, ibi magnoperè dilapſi, curam gereret. Nec tamen profectò exiſtimandum eſt, tunc Eccleſię Rauennati ius aliquod in Sicilia imperandi competiuiſſe, ſed bona tantum priuata; quemadmodum, & Mediolanenſis, aliæq; habebant Eccleſiæ, ad quas vel ipſius Iuſtiniani temporibus, vt idem aſſerit, prædia non pauca tum in Orientis, tum in Occidentis oris ſpectabant. Hoc porrò ſi per Patrimonij vocabulum ſignificatur, nefas ſit arbitrari, tunc Eccleſiæ ditionem, opesque validiore amplitudinis, & opulentiæ vi redundaſſe; ex egerit illa licet D. Gregorio Pontifice in cunctis Chriſtiani orbis prouintijs priuatos cenſus. At nos de dominatu, regnandique iure agimus: ex quo etiam Genebrardi verſutia colligitur, qui ex priuatarum diuitiarum poſſeſſione regnum in Pontificem

conieciт. Sed, vt hęc clariſſimè innoteſcant, quālibet excurramus ꝓuinciam, perſcrutemurq́;, quidnam dominij in Aphrica, in Gallia, in Sicilia, in Sardinia, alijsq́; Italiæ regionib⁹ obtineret Eccleſia; & q̃d ſuꝑ his D. Gregorius ſentiat; cuius epiſtolis ſua fulcire contēdit Genebrardus.

Aphricam quidem nonaginta annorum ſpatio, ab initio videlicet hæreſeos Donatianæ, viuente Conſtantino, ad annum vſque 430. D. Auguſtino ſuperſtite, Imperatoribus, eorumque miniſtris obtemperaſſe ex ſecūdo & tertio Arelatenſi, ex alijsque Concilijs, in quibus hæreſeos illius progreſſus deſcribuntur, liquet. Nec id obſcuriùs elicitur *ex primo libro* optati Epiſcopi Mileuitani, & ex pluribus D. Auguſtini locis, pręcipuèq́; ex epiſtolis, & libris, quos de Donatiſtis, vel in Donatiſtas emiſit. Legitur prætereа in eiuſdē ſancti Vita à Poſſidonio, eorum temporum ſcriptore, calamo excepta, Imperatorem leges per totam Aphricam, vel in ipſos hæreticos edidiſſe, Proconſulemq́; ab Auguſtino, vt pœnas ab ipſis ſumeret, mitiores, exoratum. Sed, ab his recedētes temporibus, enucleata Gregorij *Epiſtola* 73. quā dicti ſui Genebrardus fundamentū ſtatuit, colligimus, Gennadium Patritium, & Exarcham Aphricæ, miniſtrum potiùs Imperatoris, quàm Pontificis extitiſſe, nō tantùm quia Gręcis, & Imperatori, vti proprium competiiſſe Exarchatū conſtat; verùm etiam, quia, cum Gregorius *ea in epiſtola* Gennadium à fælicitate cōmendet, dicatq́; ab eo nō minùs precibus ad Deum effuſis, quàm dexteræ robore fuiſſe comparatam, ex hoc non immeritò arguimus, ſecūdo marte, Gennadium in Aphrica cum hoſte ſigna cōtuliſſe. Quisnam autem hiſtoricorū nobis innuit, Pontificios exercitus ea tempeſtate in Aphrica meruiſſe? Si Gennadius magiſtratum Gregorio acceptū tuliſſet, nequaquā is inſinuatione tàm longè petita beneuolētiam aucupari ſtu-

ri ſtuduiſſet: ſed quod animo cõceperat, confeſtim emiſiſſet: Præcipuè cum nil ſibi aliud propoſuiſſet, quàm litterarũ datorem, quatenus æquitas poſceret, cõmendare. At, inquiet fortaſsè Genebrardus, nõ ex ijs verbis dominium Eccleſiaſticum dignoſcendum, ſed ex illis, quæ poſtmodùm ita ſubijcit. *Plurimas. n. pro paſcẽdis ouibus Beati Petri Apoſtolorum Principis vtilitates excellentiam veſtram præſtitiſſe, didicimus, ita vt non parua loca Patrimonij eius proprijs nudata cultoribus, largitis datitiorũ habitatoribus reſtaurauerit.* Sed nulla hæc ſunt: Quilibet enim animaduertit, Gennadium hic à Diuo Gregorio extolli, quod Eccleſię agros, qui cultorum penuria ſterileſcebãt, ad meliorem deduxerit frugem. Id quod ille nõ obligationis vinculo, ſed pietatis ſtudio effecit; vt nobis vocabulũ, largitis, indicat, quippe quod officioſam potiùs actionem, quàm debitam exprimit. *In Epiſtola* 59. Genebrardus ait, *Gregorius Gennadio hoc, & illud imperat: Dominus igitur ei erat. At Gennadius erat Aphricæ Exarcha: Ad Eccleſiam ergo Aphrica pertinebat.* Mihi verò videtur, tantam Pontificem illum in petendo adhibere Gennadio reuerentiam, vt temporũ noſtrorum Pontifex nulli Principum, quamuis omnium maximo, maiorem adhiberet. Ciuitatis Teritanæ Epiſcopus apud Gregorium, vel lacrymis manantibus, conqueſtus erat, quòd milites Theodori non tantùm ciues opprimerent; ſed Religioni etiam addictos homines vexarent, Theodorusque, militum illorum magiſter, ad ſe cauſas, quæ ad Eccleſiam attinebant, auerteret: Gregorius igitur querimonijs expoſitis, inquit.

Quæcunq; ſint, ſi tamen vera ſint, Reip. diſciplinæ cõtraria vos ſcitis; & quia hæc omnia veſtram excellentiã conuenit emẽdare, ſalutans eminentiã veſtrã poſtulo, vt ea vlterius fieri nõ ſinatis; ſed ex opere illi iubere diligere, vt ab Eccleſiæ ſe læſione remoueat. Epiſt. 59. lib. 1.
Dein ſubdit alia, q̃ Theod. ſacrę Admonitionis loco ſint.

Hæc

Hæc affert Genebrardus, quibus nos in illam abripiat ſententiam, Pontificem Aphricæ fuiſſe dominum. Mihi tamen allata toto cœlo à ſcopo videntur diſtare. Atqui vt veritatem penitus conſequamur *epiſtola 63. lib. 5.* legenda eſt, quam Gregorius ad Mauritium Imperatorem dat, laudatque conſtitutiones contra Donatiſtas ab eo emiſſas.

Epiſt. 63. lib. 5.

Sed venientes viri reuerendiſſimi ex Aphricana Prouintia Epiſcopi, aſſerunt ita eſſe incauta diſſimulatione poſtpoſitas, vt nec Dei illic iudicium haberetur in metu, nec principales hactenus iuſſiones ſortirentur effectum: hoc etiam ſubiungentes, quod in præfacta Prouincia, Donatiſtarum præmiis prævalentibus, fides Catholica publicè venundetur. At contra glorioſus vir Gennadius de vno eorum mihi ſimilia queſtus eſt, qui talia querebatur. Cui etiam duo alij in re eadem teſtimonium ferebant. Sed quia cauſa ipſa ſæcularis iudicis intererat, eoſdem Epiſcopos ad pietatis veſtræ exiſtimat eſſe veſtigia dirigendos, vt per ſemetipſos sereniſſimis auribus ſuggerant, quæ ſe fatentur pro fide Catholica pertuliſſe.

En vt D. Gregorius atteſtatur, Res in Aphrica prophanas non Iurisditionis eſſe Pontificiæ, ſed Imperatoriæ.

Huius etiam fidem facit titulorum ſplendor, quos Gennadio Gregorius impartitur, ſublimitatem, excellẽtiam, Vos, quibus Rauennatem etiam Exarcham inter Imperatoris præſides in Italia præcipuum, aliosque inſigniores proceres appellare ſolitus erat; Defenſores verò Eccleſiaſticorum patrimoniorum nunquam. Sed id ante omnia demonſtrat *epiſt. 3. libri 6.* in qua Gregorius Gennadio aliquos è Corſica in Aphricam appulſos cõmendat, & ab ipſo, vt Corſicam tueatur, petit. Ex quo videre eſt, ei etiam Inſulæ Gennadium præfuiſſe, Corſicamque, Aphricamque eidem ſubiectas dominationi: ideò

ideò Aphricam Imperatoris prouinciam, Gennadium Imperatoris miniſtrum extitiſſe, cum pro comperto ſit, Corſicam ad Imperatorem ſpectaſſe.

Si verò ſuper his veteres hiſtoricos conſulamus, hinc quoque nos non latebit, Aphricam ad Imperium attinuiſſe, ei à Vandalis ereptam; poſt quinque dein, & nonaginta annos recuperatam. Nam ex omnium liquet dictis, Vandalos, orta inter Ætium patritium, & Bonifacium Duces eximios, & Imperij Romani Gubernatores ſimultate, à Bonifacio in Aphricam, Valentiniano imperante, fuiſſe accerſitos, qui eò Genſerico Rege aduecti, Mauritaniam primùm ſunt depopulati, manu deinde cum Bonifacio confecta, qui cum Imperatore in gratiam rediuerat, eum etiam fuderunt, & cum rurſus Theodoſij iunioris auxilio caſtra in eos mouiſſet, iterum eum profligarũt: Aphricæ dominio à Vandalis, extremiſtantum D. Auguſtini temporibus, erepto.

Paulò poſt adeptus Carthaginem, cum Valentiniano Occidẽtis Imperatore Genſericus pacem iniuit: Quem tamen Leo, plurima Imperio Romano illata damna vlturus, bello eſt adortus, centumque militum millia, Duce Baſilico, in eum impulit: ſed & id fruſtra, feſtino nimium obitu Leonis, inſtitutum præſecante.

Genſerico poſt vnum de quadraginta Maricus filius; Marico poſt octo Gondebardus; Gondobardo poſt duodecim regni annos Traſamundus ſucceſſit, qui ſeptem, & viginti regnauit añoſ. Et hi Reges perpetuò ferè cum Mauriſijs Aphricę populis bellati ſunt. Poſt Traſimundum Ilderigus filius Regnum capeſſiuit, qui cum otiaretur, à Gildimero poſt octo regnatos annos de ſolio deturbatus fuit. At Gildimerum Belliſarius Iuſtiniani Dux deuicit, captiuumq; Conſtantinopolim traxit, Aphrica Imperio reddita: Quo factum eſt, vt Aphricani

nomen Iuſtinianus aſſumpſerit. Hæc omnia Agatias eorum temporum ſcriptor breuibus complexus, ſic in hiſtoriarum ſuarum procemio inquit: *Cæterùm Procopius ab Arcadij morte exorſus hiſtoriam eſt.* Et infra. *Vtque Vandalorum Gelimer, id loco eſt nomen, Carthagoq; Vrbs & Afrorum regio omnis per Bonifacium, Gensericumq; præfectos poſt defectionem multis poſt annis Iuſtiniano in ſeruitutem conceſſerint, cum aliàs quondam ſub Romano fuiſſent Imperio.*

Aphrica recepta, Iuſtinianus Regiminis rationem in ea conſtituit, qualem in Codice legimus: Belliſarius, ducto Conſtantinopolim triumpho, copiarum partem Salamoni tradidit, quibus ille, in Aphricam mãdato Imperatoris traiectus, Mauritios cõpreſſit. Porrò cum milites, qui Vandalicas fœminas in vxores duxerant, ab Imperio deſciuiſſent, & in Salamonis caput iuraſſent, Belliſarius iterum in Aphricam ſe contulit: quo etiam bellorũ moli ſuccumbẽte Imperator eò Germanum, nepotem ſuum, cũ exercitu miſit. Is perduelles debellauit, Salamonẽq; in prouincia reliquit moderatorem, qui, fractis rurſùm Maurifijs, ad eius gubernacula fælici ſatis dominatu cõſedit; donec & ipſe, quodam exardeſcente conflictu, fuit ab ijſdem hoſtibus de medio ſublatus. Sergius poſt Salamonem Aphricæ præfuit, quo dominãte, cum res in deteriùs vergerent, Areobindus ab Imperatore miſſus fuit, quẽ Gontharis, defectione ab Imperio facta, cœpit, interemitq;. At Gontharim Artabanes Armenus, cui Aphricam Imperator regendam crediderat, obtruncauit. Poſt Artabanem Ioannes illã ſuſcepit prouinciam, pacificeq; toto Iuſtiniani Imperio, nec non per aliqua Phocæ tempora, vſq; ad Heraclium, ſiue Heraclianum nouũ Aphricæ Præfectum, gubernauit. Is, coniuratione inita, filium Heraclium Conſtantinopolim miſit: vbi, Phoca Imperatore interfecto, Heraclius iſte iunior in Imperatorẽ fuit

aſſumptus,

Digitized by Google

aſſumptus, qui firmioribus præſidijs cōfeſtim Aphricam muniuit; Quæ tamen tanti nō fuerunt, vt Perſarum Regem amouerent, quin illam ſubiugaret. at eam continuò Imperator recepit, receptaq; ſub Imperio permanſit, donec in illam irruperunt Mauri, & Mahometanæ ſectæ veneno infecerunt. Ex his certa licet aſſequi coniectura, nunquam Pontifices in Aphrica fuiſſe dominatos: oriturq; ſuſpicio non exigua, Genebrardum Eccleſię aſſentari voluiſſe, à qua præmia in bene de ipſa merentes proficiſci ſolent ampliſſima.

CAPVT IV.

Quid iuris in Gallia antiquitus habuerit Eccleſia.

NVNC in Galliam tranſeamus, vbi ex ipſis etiam Genebrardi verbis exurgit, ius nullum Eccleſię regnādi competiuiſſe, ſed peculium habuiſſe, cuius redditus pauperculis diſpenſabantur, quemadmodum *Epiſt.* 55. *libri* 5. & alibi dicitur. Peculium hoc eiſdem epiſtolis, quas Genebrardus pro ſua commemorat ſentētia, Gregorius Regi, Reginæq; commendat, non vti iniquis eius inuaſoribus, ſed vti pijs eius ſeruatoribus, idq; nil niſi priuatos cenſus continuiſſe ibidem in aperto eſt: & hoc ex *Epiſt.* 33. *lib.* 2. *ad Dirtarium Galliæ Patritium* detegitur, qui redditus illos exegerat, ibi ergo dicitur. *Quod veſtra nobis gloria oſtendit, quæ perenni muneri intenta, B. Petro Apoſtolorum Principi, ſuorum redditunm fructus intulit. Et infra ſuſcepimus, namq; per Hilarium filium veſtrum de præfatis Eccleſiæ noſtræ redditibus, Gallicanos ſolidos quadringentos.* *Epiſt.* 33. *lib.* 2.

Hi verò ſolidi erant aurea numiſmata, quæ tunc temporis ſubtracta ex Budæo ratione, pretium ſexcentum noſtrorum ſcutatorum attigiſſent. Et *Epiſt.* 10. *libri* 5. *ad*

Digitized by Google

Candidum,qui peculium illud adminiſtraturus erat, præcipit, vt pecunijs exigendis, veſtimenta pauperibus, & pueris Britannicis,qui Chriſto nomen daturi erãt, comparet, & ſubdit, *Quatenus ſolidi Galliarum, qui in terra noſtra expendi non poſſunt, apud locum proprium vtiliter expendatur*. Quare arguere rectè licet, ea loca iuris Pontificij non fuiſſe, cum ibi moneta cuderetur, quæ Romæ expendi non poterat. Id autem fiebat, quia nuſquam Pontificis, Cæſaris verò ſub imagine vbique, vel in ipſa Perſia, argentum, aurumque imprimebatur. Galli tantum, qui tunc à Germanis oriundi erant, ſuis in pecunijs proprium Regem, quouis pretioſiore metallo, ponebant: Quare nuſquam extra regni fines vſu veniebant, & id forſan Cæſaris decreto. Gallorum autem Hiſtoriæ rationem produnt, qua Gallia ab Imperio reuulſa propriis exinde Regibus ſemper ſit obſequuta. Stat ergo ſententia nullos in Gallia Eccleſiam redditus poſſediſſe, niſi priuatos.

Epiſt. 10. lib. 5.

CAPVT V.

Quid iuris in Sicilia antiquitus habuerit Eccleſia.

QVOD in Gallia, idem fuiſſe in Sicilia, nec ipſe quidem Genebrardus videtur inficiari: cum id ex epiſtolis ab ipſomet allatis pateat. In *ſecunda primi libri*, Iuſtino Prætori de eius in Siciliam aduentu gratulatur, certioremque facit, ſe in Inſulam illam, peculij Eccleſiaſtici gratia hominem miſiſſe, qui ſemper cum ipſo cõueniet. Is autem erat Petrus ille Subdiaconus, quem proxima epiſtola Carolo Scolaſtico commendat. Quare inferendum eſt, Prætorem ab Imperatore mitti ſolitum, de quo extat Iuſtiniani conſtitutio, qui ſeptem, & viginti annos ante Gregorij Pontificatum vixit, Adminiſtratorem verò pe-

rò peculij à Pontifice, qui propterea epiſt. 70. cauere ſtudet, ne in frumenti exactione, quod Romam, quæ Vrbs tunc Imperatori obtemperabat, annonæ penuria laborantem, erat mittendum, Coloni Eccleſiaſtici vexentur. Nec ideò ab hac deijcior opinione, quod Libertino Siciliæ Præfecto, Iuſtini ſucceſſori, Pontifex præcipiat, vt ab Iudęo corpoream pœnam exigat. Cauſa enim hæc tota erat Religionis. Altare namque Beato Eliæ Iudæus erexerat, quò ad ſacrilegam adorationem Chriſtianorum multos fraude pellexerat, & in multos etiam, ſeruitutis iugo deuinctos, domini iure vtebatur. Conqueritur Gregorius, Iuſtinum, Libertini præceſſorem, pecunia labefactatum vltionem diuinarum iniuriarum diſtuliſſe. At non queſtus fuiſſet, ſed pœnas exegiſſet, ſi Iuſtinus ſibi, non Imperatori Præturam acceptam retuliſſet. Vt verò hæc magis innoteſcant, percurrere lubeat *epiſtolam 51. libri 8. ad Leontium exconſulem*, vbi de hoc Libertino mentione facta, quem Pontificis miniſtrum, & Prætorem Siciliæ Genebrardus nominat, hæc penitus extant verba. *Sed debet gloria veſtra meminiſſe, quia nunquam epiſtolas meas pro commendatione alicuius accepit, niſi, vt protectionem veſtram, fauente iuſtitia, præſtaretis. Et quia de eodem Libertino tota ſimul Prouincia gratias referebat, iudicaui. Nam vel quis eſſet, vel quales cauſas habuerit, neque vſquam profeſſus ſum, nec hactenus ſimpliciter ſcio.* Epiſt. 51. lib. 8.

Ex his, quàm Genebrardi dicta ſint veritati conſona, perpendamus. Atqui Gregorius in illa epiſtola ad Leontium, qui velut ex ea, & ex proximioribus colligere eſt, ſupremus Siciliæ Gubernator erat, nimiam illi ſeueritatem exprobrat, qua in Libertinum vſus erat, qui Pontificis gratia ad Præturam euectus, ob præpoſteram deinde publicarum pecuniarum contrectationem fuerat mulctatus. Hac ſeueritate, inquit Gregorius, tempori-

bus Imperatorum tenebras offundi: & *inferius* addit. Ibid. *Nam ſi mihi conſtare potuiſſet, quia iuſtas cauſas de ſuis rationibus haberent, priùs per epiſtolas vos pulſare, habui, & ſi auditus minimè fuiſſem, ſereniſſimo Domino Imperatori ſuggererem. Sed quia mihi de ſuorum rationibus nihil conſtat, ideò, ſicut dixi, & vobis, & pijſſimo Principi nihil dico.*

Tota demùm ea Epiſtola Leontium increpare, & cum ipſo, licet Imperatoris locum ibi ſuſtineret, vti Pontifex inſtar iubentis liberè loqui Gregorius videtur, quemadmodum & cum cæteris conſueuerat.

Non tanti ea ſunt, quæ Diaconus affert, Siciliam nempè ſeptem talenta cum dimidio Eccleſiæ ſoluiſſe, quæ ſcutatorum noſtrorum bis mille, & centum efficerent. Idem enim aſſerit Diaconus, illam pecuniarum ſummam ab Siciliæ Eccleſijs fuiſſe erogatam. Quanquam nec eſt, quod admirationem tanta exactio pariat, cum ex Epiſt. 17. lib. 7. ex 30. lib. 12. & aliundè palam liqueat, Eccleſiam in pluribus Siciliæ partibus fundos, redditusque poſſediſſe. Siciliam verò Imperatori fuiſſe ſubiectam Genebrardus ipſe teſtatur, dum, Diaconi verbis conſentaneus, inquit, Belliſarium Iuſtiniani Ducem, cum Neapolim depopulaſſet, deleuiſſetque, homines è Sicilia, & aliundè eò deduxiſſe, qui eam rursùs incolerent. Atque ab eodem etiam vnum ex proceribus præſidem mitti ſolitum, qui Siculis ius diceret, eorumque dirimeret controuerſias.

CAPVT

CAPVT VI.

Quid antiquitus in Sardinia, & inſulis aliquibus Siciliæ finitimis Eccleſia iuris habuerit.

QVOD porrò ad iuris Eccleſiaſtici inſulas attinet, quarum D. Gregorius *Epiſt.* 70. *libri primi ad Petrum Subdiaconum* meminit, aitque, multos ibi iure emphyteutico ſolum ſibi petijſſe, quod aliquibus concedebatur, aliquibus negabatur, & inſuper Eccleſiæ vtilitatem ipſi commendat, exiſtimandum non eſt, eas fuiſſe regna, ditionesque, ſed fundos tantùm, & ſcopulos Siciliæ finitimos, Eccleſiaſtico peculio annexos: Ad Petrum ideò de ipſis ſcribit, cui patrimonij adminiſtratio, non regendarum vrbium cura incumbebat: præcipuèque illum admonet, ne ruſticos à colonis torqueri patiatur, vt factum videmus *Epiſt.* 62. *lib.* 1. *Epiſt.* 30. *lib.* 12. & Decreto *tertio eiuſdem libri. Epiſtola verò* 17. *libri ſeptimi*, Romanum Siracuſani agri, aliorumque peculio procul omni dubio præficit; rerumque illarum adminiſtratione illi commiſſa, ſubijcit, ſe perſonis in peculio contentis de more imperaſſe, vt illi obtemperarent; qui verò hi forent, ex epiſtola ſequente colligitur, coloni videlicet peculio incubantes. *Epiſtola* inſuper 29. *libri* 12. Romano præſcribit, vt à Leontio facultatem frumenti euehendi impetret, velut antea à sereniſſimis Principibus, qui ſine dubio Imperatores erant, fuerat impetratum. Exurgit ex hoc, Peculiorum Curatores dominatum non exercuiſſe, Siciliamq; Imperatoris dominio paruiſſe. Quod etiam ex Vandalorum hiſtorijs, per Procopium, aliosque conſcriptis in comperto eſt.

Sed quid de Sardinia? cum Gregorius *Epiſtola* 60. & 61. *libri primi* ad Ianuarium Epiſcopum iu Sardinia Caraletanum ſcripta iubeat, cauſas omnes Catellæ mulieris Religioſæ dirimendas amandari, ne fori moleſtijs exagitetur: Quod meri imperij indicium eſt. An hoc tale eſt, vt cogitationem fortaſſis nequeat effugere, id Eccleſiaſtici fori cancellis cohibendum, cum fœmina ſacris fuerit initiata? Perſcrutari tamen veritatem liceat, vt decet, ſereno animo, non affectuum, non pertinaciæ nebulis caligante.

Epiſtola quoq; 46. *libri primi* fœminas quaſdam Theodoro Sardiniæ Duci commendat, & 47. ſcribit, Theodori actionis mirum quantum à mandatis pientiſſimorum Dominorum deflectere, quibus iuſſum erat à ciuiũ, & incolarum ceruice onera tolli: de quo certiores ipſos eſſe faciendos, aſſerit: Nec verò cuiquam dubium inſit, hos Mauritium Imperatorem, Tiberiumque, & Theodoſium Auguſtos fuiſſe, quos nomine etiam appellat *Epiſt.* 41. *libri* 4. & 63. *lib.* 5. & Theodorum extitiſſe eorũ miniſtrum. Id quod longè clariùs effertur *Epiſt.* 33. *lib.* 4. ad Conſtantiam Imperatricem, vbi nobis non obſcurè innoteſcit, Sardiniam, vnaque Siciliam, & Corſicam Imperio fuiſſe ſubiectas: Quandoquidem Gregorius Conſtantiam rogat, vt, ea deprecante, Imperator amoueat, aboleatq; corruptelas, & iniquitates, quæ in dies illis in inſulis inualeſcebant. In Sardinia Iudex, pretio emptus, Idolis immolari ſinebat; In Sicilia Stephanus quidem per ſcelera nephariè graſſabatur: In Corſica tot affligebantur habitatores oneribus, vt eorum ſoluendorum cauſa proprios liberos venundare cogerentur. Quare petit, vt à ſereniſſimis Dominis mandata promulgentur, quibus tantæ prauitatis actiones coerceantur. Hæc eadem epiſtola nos præterea quid magni momenti edocet, pe-

cet, pe-

cet, pecuniam publicam nimirùm, quę ab illis inſulis exigebatur, non fuiſſe Imperatori mitti ſolitam, ſed Pontifici, eo bello expendendam, quod tunc in Italia cum Longobardis gerebatur.

Tacitus hîc pertranſeo, Sardiniam inter Aphricę prouincias enumeratam, vt ex prouinciarum digeſtione à Iuſtiniano facta conſtat, & à Belliſario reſtitutam Imperio, vt enarrat Diaconus.

CAPVT VII.

Quid iuris antiquitus in Dalmatia, & Illyrico habuerit Eccleſia.

DE Dalmatia non moror, cum ex epiſtolis ab ipſo Genebrardo allatis nil aliud emergat, niſi Eccleſiam Patrimonium quoddam ibi poſſediſſe. Quod & in *epiſtola 71. eiuſdem libri* legere eſt. Mihi enim videtur non abſurdè arguendum, Pontifice aſſerente, ſe in Dalmatia peculium, hoc eſt priuatos redditus, habere, regnandi ei ius ibi non competere.

Huic non abſimile peculium in Illyrico tenebat Eccleſia, vt ex *Epiſt.17. lib.7.* comperitur, nec tamen ex hoc infert Genebrardus, Eccleſiam in regione illa fuiſſe dominatam. Quod quidem ſi aſſereret, nulla eſſet illi fides adhibenda, cum ex *Epiſt.43. lib.1.* Imperator appareat Illyrici dominus: qui iuſſerat, Epiſcopos eius prouinciæ, barbarorum furore proprijs ab Epiſcopatibus expulſos, ab eis recipi, qui ſua retinuerant. Quod præceptum, ait Gregorius, non tantùm Imperatoris fuiſſe, ſed Dei. Hactenus igitur in certam deuenimus cognitionem, Eccleſiaſtica peculia nil, niſi priuatos redditꝰ fuiſſe, quæ Chriſtianorum pietas Eccleſiaſticorum virorum, & Eccleſiæ vſui elargita fuerat, quale factum videmus, vel in Vrbani pri-

Digitized by Google

ni primi Vita, qui anno Chriſti nati 223 ad Pontificatum fuit elatus.

CAPVT VIII.

Quid iuris antiquitus in Neapolitano Regno habuerit Eccleſia.

PENE in animum induxeram Neapolim, Campaniamq́; ſeu Latium iuris Eccleſiaſtici fuiſſe, cum plures Gregorij legiſſem epiſtolas, in quibus multa per eam vrbem, prouinciamq́; iubet, quæ laicorum perſonas, & res attingunt. Sed ab hac me ſententia auertit, *Epiſt.* 24. *lib.* 12. in qua patet, Imperatores ibi dominos extitiſſe, Tribunosq; eò miſſos à Pontifice, miſſos nomine Imperatoris fuiſſe. Ex quo etiam patefit ſtudium, miniſteriumque, quod Pontifices in Italia Imperatoribus exhibebāt. In ea namq; epiſtola, ad ſingulos eius Prouinciæ Epiſcopos data, Pontifex quemq; laudat, quod Conſtantio Tribuno, à ſe vrbi cuſtodiendæ miſſo, vt eis per litteras præcipiebatur, paruerint, hortaturque, vt ſereniſſimorum Principum com̄odo, & ciuitatis ſeruandæ gratiam eidem omne præſtent obſequium.

Huic affinis eſt *Epiſtola* 53. *lib.* 8. ad Romanum Defenſorem ſcripta; eò quod aliqui, verbis Leontio datis, de quo *ſuperiùs* meminimus, inſulas, quæ ad ciuitatem Neapolitanam pertinebant, ſibi occuparant. Ei præcipit igitur, vt Epiſcopum admoneat, ne cupiditatibus hominum iſtorum faueat: & addit, *Quia licet retrò Principum iuſſionibus omninò dè eiuſdem inſulis ſint muniti, nobis tamen cum in Regia Vrbe fuimus ſuffragantibus, ita ſereniſſimi Domini Mauritij, Principis elicita iuſſione, eorum* (*Epiſt.* 53. *lib.* 8.)

ſtrictè

ſtricte iura munita ſunt, vt non habeant vnde iuſtè formidare.

En Decretum ſuper vrbis Neapolitanæ Iurisdictione ab Imperatore emanatum, Pontifice non reclamante, ſed id expoſcente, quippe qui ſe ijs, vt Imperatoris miniſter, immiſcuerat: quam pariter perſonam ſuſtinendo, credibile eſt, cæteras quoque eum emiſiſſe epiſtolas, quæ dominium Eccleſiaſticum in multas Regni illius ciuitates indicant. Huic *Epiſtola* 70. *libri* 7. ad Maurentium militum Magiſtrum adijci poteſt, his verbis data. *Valde mirati ſumus, quod vobis in Neapolitana Ciuitate poſitis, venire ad nos pro quibuſdam cauſis Theodorus vir memorandus præſentium portitor cogeretur, maximè dùm in illa ſe re, contra antiquum morem à fratre, & Coepiſcopo noſtro Fortunato quæratur præiudicium pertuliſſe, quam ad curam, diſpoſitionemque patroni ciuitatis eiuſdem, gloria veſtra teſte, aſſerit ſine dubio pertinere. Quod ſi ita ſe res habet, omninò contriſtamur, cur in eius vos defenſione veritas non præmouit, &c.* *Epiſt.* 70. *lib.* 7.

En alium, quàm Pontificem, Ciuitatis dominium. Domini verò huius Magiſter militum erat Miniſter: Non Gregorij certè, vt liquet ex *Epiſt.* 74. *eiuſdem libri* ad ipſum, ſic planè ſcripta. *Filius noſter Theodoſius Abbas Monaſterij, quod à Liberio quondam Patritio in Campaniæ partibus noſcitur eſſe conſtructum, à nobis precibus impetrauit, vt eum cum congregatione ſua veſtræ deberemus gloriæ cõmendare. Aſſerit. n. ſe in murorum vigilijs vltra vires ſuas vehementer affligi. Petimus ergo gloriam veſtram, vt ſiquidem eſt poſſibile, de eodem per vos onere releuetur. Si verò ex toto, vt nõ fiat hoc eſt omninò difficile, vel ita illi ex noſtra commendatione ipſum leuigantes pondus ſollicitudinis temperetis, vt dum in Dei laudibus liberior vacare voluerit, pro vobis, cuius opere, vt leuationem aliquam habeat, factum eſt, ſecurior valeat Dominum* *Epiſt.* 74. *lib.* 7.

exorare, ſed, & noſtram ſibi apud gloriam veſtram ſentiat epiſtolam profuiſſe.

Itidem *Epiſtola* 27. *libri* 8. Fortunato Epiſcopo Neapolitano indicit, vt Ioannem, *Epiſtola* 20. Italiæ Proconſulem appellatum, hortetur, quò pecuniarium onus quoddam Saponarijs eximat, &, quatenus id ab eo nequeat obtinere, Præfectum adeat.

Hic fortè Ioannes Campſinus fuit, Conſtantinopolitanus Patritius, qui ab Phoca Mauritij ſucceſſore Neapolis Præfectus creatus eſt, Græco vocabulo Archata dictus: ille nempè, qui Pontificis electione poſt Bonifacij 4. obitum longo temporum lapſu præpedita, & Rauennate ex arca cum ſuis cæſo, auſus eſt Neapolim, Calabriam montanam, Baſilicatam, Appuliamque inuadere, & occupare: licet paulò poſt ab Heraclij militibus victus, peremptusque fuerit, ditionibus illis rurſum Imperio aggregatis.

CAPVT IX.

An prioribus ſæculis Pontifices in Vrbe Roma dominium aliquod præter ſacrorum habuerint.

DE Vrbe Roma verò, vter, hoc Pontifice, in illam dominaretur, Eccleſia ne, an Imperator, ambigitur à quibuſdam. Hinc enim habemus Montanum, & Thomam ſeruos à Pontifice manumiſſos, & aſcitos in ciues Romanos, quod dominatum arguit: Indè compertum eſt, ab Imperatore præſidiarium militem eodem tempore Romæ conſtitui, euocari, permutari, idque idem agi Anarniæ, Peruſij, alijſque in oppidis Vrbi finitimis, & ex *epiſtola* 31. *libri* 4. cognoſcere eſt.

Quòd ſi Pontifices ne in vrbem quidem Romam tūc domina-

dominabantur, non ex facili prouinciarum, locorumvé aliorum dominium eis eſt attribuendum, ni rationes validiores, & ſigna allatis clariora extent.

Et reuera, ſi fides hiſtoricis, qui hæc omnia pro temporum ratione dignoſcere potuerunt, eſt adhibenda, tenendum eſt, Conſtantinopolitanos Imperatores ab obitu Conſtantini nunquam illius ciuitatis dominium ſibi abdicaſſe, niſi interdum barbarorum inuaſione coactos. Quod vt amiſſum recuperarent, conſeruarentque, omnibus dein neruis incubuerunt: idque accidit etiam, poſteaquam Imperium duas in partes diſſectum fuit, Occidentali in Carolum magnum Eccleſiæ obſequentiſſimum per Pontificem translata. Collectis enim breuiter omnibus, quæ de Vrbe Roma in hanc rem ſcribuntur, id nobis liquet. Et primò vbi Conſtantinus occubuit, diuiſumque inter filios eſt Imperium, ſiue id ex patris teſtamento, ſiue ſecus factum fuerit, Conſtanti Italia cum VRBE ROMA, Aphrica, Sicilia cum cæteris inſulis, Illyricum, Macedonia, Achaia, & Peloponeſus obuenit. Totum poſtea Imperium ſub Conſtantio redactum eſt. Tunc Nepotianus eius ex Eutropia ſorore nepos, perditorum hominum collecta manu, Romam ingreſſus Imperatoria aſſumpſit inſignia. Sed in illum inuaſit Anizerius à Magnentio, qui ſibi Occidẽtale Imperium arrogârat, Præfectus conſtitutus, eumque Romanis militibus ignauiter obluctantibus, profligauit, & interfecit. His ſedatis, Vrbs Imperatoris nomine regebatur à Leontio, qui Conſtantinopolim Liberium Pontificem miſit captiuum, eò quod ſubſcribere recusârat conſtitutionibus Synodo in qua Athanaſio, Alexandriæ Epiſcopo ſacris interdictum fuerat.

Ad hęc Iulianus Apoſtata, viuente Conſtantio, ab exercitu conclamatus Auguſtus Senatui, populoque Ro-

mano, Italiæque militaribus copijs per litteras mandat, vt ſibi, quippe Imperatori, ciuitates ſeruent, & tueantur. Quare Taurus, & Florentius eo anno Conſules, qui Conſtantij partes ſequebantur, ſeſe fuga proripiunt. Quò factum eſt, vt Iuliani iuſſu in publicis documentis, in quibus moris erat mentionem Conſulum fieri, Conſules fugitiui nominentur. Iulianus poſtmodùm loco Tertulli Romæ Præfectum inſtituit Maximum, Maximi loco Aphronianum, qui vel poſt ipſius Iuliani mortem magiſtratum prorogauit. Hoc Præfecturam tenente, cum Iulianus Parthis bellum indicere cogitaret, libros Sybillinos conſuluit, à quibus reſponſum tulit, ſatiùs illi eſſe, ſuis non excedere finibus. At eodem anno libri hi in Apollinis Palatini æde, incendio fortuito concitato, penè conflagrarunt. Iuliano Valentinianus primus ſucceſſit, cuius ſub Imperio Romam Maximini Propræfecti dilaniauit immanitas; necnon ſimplicij crudelitas; quorum vterque, alter alterius ſucceſſor, loco Imperatoris vrbi præfuit: vt ex Ammiano Alexandrino *libro* 28 habetur: vbi perſpicere licet, Imperatoris auſpicijs, nutuque cuncta Romæ geſta; Appellationesque, ſeu prouocationes omnes ad Imperatorem deuolutas. Nec in tota huius Auctoris hiſtoria, qui temporibus illis vixit, militauit, & ad obitum vſque Valentis ſcripſit, locus extat, ex quo quis colligat, in vrbem Romam quemquam alium, quàm Imperatorem, dominatum exercuiſſe. Hoc idem in Eutropij Diui Auguſtini diſcipuli, libris extat, qui Iulianum in bello contra Parthos comitatus eſt, & res vſque ad Valentis interitum litteris commendauit. Valenti Gratianus ſucceſſit; Gratiano Herodotus. Is Romam ingreſſus, conuocato Senatu, qui etiamnum priſco more Idolatriæ ſtudebat, cunctos ad Religionem Chriſtianam amplexandum inflammare enixus eſt; nequidquam

quidquam tamen, perſonabant enim populi voces, per mille ducentos annos Deorum, quos adorabant, tutela, præſidioque Vrbem ſteriſſe inuictam: ſi cultum nouello Numini exhiberent, incertum, quid futurum eſſet. Subijciebat Imperator, pecuniarum tãtum in ſacrificiorum celebritate impendi, vt, ni modus ſumptui adhiberetur, ſuperfuturum non eſſet, quo ſtipendia militibus perſolnerentur. Replicabant ij, pecuniam ſacrificiorum obnoxiam Fiſco non eſſe. Hinc videmus, quantopere ad illa vſque tempora Romæ Idolorum ſeruitus vigeret. Imperator hic, in vrbe comoratus, plurimùm illi profuit; dum aliqua inuexit, aliqua ſuſtulit. Duo ſuſtulit in primis, è quibus plurima oriebantur mala.

Prioribus ſæculis ingentis magnitudinis ædes Romæ fuerant extructæ, in quibus panis, qui ciuitati vniuerſæ inſeruiret, pinſebatur, coquebaturque. Fluxu temporis, qui ſe ſe factitandi panis ſtudijs dederant, domicilium illud in latronum ſpeluncam conuerterunt. Namque in ima domus parte, in qua ſub terra frumẽtum terebatur, latebras foderant, & diuerticula plura conſtruxerant, quò meretricibus omnis generis obtruſis, multos alliciebant, tùm eorum, qui panis emendi gratia illò ventitabant, tùm eorum, qui proprio libidinis internæ vitio laborabant. Allectos autem, dolo, inter molas effundebãt lapſu præcipiti. Id verò præcipuè inſidiarum peregrinis ſtruebatur, qui ea in loca delapſi aſperorum operum laborem ad extremam vſq; ſenectutem per ſummum ſcelus protrahere cogebantur: opinione inter amicos, & affines oborta, eos alicubi fortè fortuna perijſſe.

In huiuſmodi muſcipulas quidam Theodoſij miles cecidit. At cum ei pedem efferre verare conarentur nonnulli, diſtricto illos gladio obtruncauit, alijsque deterritis.

Superat

- --- *Superas euaſit ad auras.*

At cum rei nuncius Imperatoris aures attigiſſet; meritas ille ab operarijs nequiſſimis pœnas ſumpſit: molem illam ſolo æquauit.

Peſſimam præterea aboleuit conſuetudinem. Si qua mulier in adulterij crimine depræhendebatur, non extinguebantur, ſed irritabantur flagitioſæ libidinis faces. Luſtro ſiquidem in anguſto fœmina occluſa coire vulgo compellebatur. In ipſa verò coeuntium agitatione tintinnabula quædam obſtrepebant, quæ pudendum impudicæ dedecus euulgarent. Id etiam ſuſtulit Imperator, lupanaribus illis deiectis, & alia adulterio pœna indicta. Quod cum perfeciſſet, Theodoſio Romæ relicto, ipſe Conſtantinopolim vnà cum Honorio eſt reuerſus.

Poſt Theodoſium Arcadius, & Honorius Theodoſij filij inter ſe Imperium diuiſerunt, & hæc quidem diuiſio non paruo perſtitit tempore; Vtriuſque tamen Imperatoris portio multarum dein prouinciarum diſtractione cœpit in deterius vergere. Arcadius Orientis Imperium Conſtantinopoli obtinuit, Occidentis Honorius Romæ, qui gladiatorios vetuſtæ inſtitutionis ludos ſuſtulit, hac de cauſa motus. Monachus, nomine Thelemacus, dedita opera, ab Oriente Romam appulerat: Is in arenam, ęſtuante conflictu, deſcendit, decertantes alterum ab altero diuellere enixus: Id quod populum in tantam indignationem excitauit, vt monachum lapidibus attriuerit. Factum eſt idcircò, vt ab Imperatore non ſpectaculorum modò conſuetudo abolita, verùm etiam pius ille in Martyrum numerum fuerit repoſitus.

Anno verò Domini 410. Conſulibus Boſſo, & Philippo, cum idem Honorius ſe ſe Romæ detineret, Maricus Viſigothorum Rex magnis copijs ad Italię fines peruenit. Quare Stilico Imperatorij exercitus Dux ſtatim Rauen-

Rauennæ ſe Romam ad Honorium contulit, qui protinùs ſenatum conſuluit, an ne pax, vel bellum foret eligendum, latisq; ſuffragijs pax potior eſt viſa.

Hic idem Stilico, cum Honorius, Arcadio fratre defuncto, Conſtantinopolim cogitaret, hanc illi, vt eum à concepto itinere auocaret, ſubiecit rationem, non æquũ eſſe, ingraueſcente in Gallia Conſtantini defectione, illum Romanæ Vrbis, & Italiæ curam omittere.

Stilicone, qui prætorianæ Militiæ tribus, & viginti annis præfuerat, extincto, Eliocrates Quæſtor litteras Honorij Romam detulit; atque, his iubentibus, bona illorum proſcribi, qui, viuente Stilicone, magiſtratus exercuerat, ibiq; proſcriptionem executioni mandari curauit.

Ad hæc adde, quod militum aliqui Ducis imperium aſpernati, barbarorum coniuges, liberosq;, quibus cum in hybernis hyemârant, immane quantum exagitauerant; quo factum fuerat, vt eorum viri, parentes, & affines propè ad Alaricum defecerint, eiusq; ſecuti caſtra in Romanos militarint.

Alaricus exinde vrbem milite præcinxit, nec toto tamen obſidionis illius tempore fit vlla Pontificis mentio, niſi quatenus Religioni præerat, illudq; vnum recenſetur, eum, vt pax cum Alarico iniretur, ſe Rauennam ad Imperatorem cum Romanæ Vrbis legatis contuliſſe.

Imperator Eliocrati ſubſtituit Attalum, & Romæ Præfectum Cecilianum creauit, qui duo fuerant ad ipſum à Senatu legati. At cum iterum Alaricus Romam obſideret, vrbsq; ingenti inedia premeretur, ab hoſte conditiones accipere eſt coacta: Rex igitur intra mœnia ingreſſus non Imperatorij theſauri tantùm fortunas omnes eſt depopulatus; ſed ipſam Imperatoris ſororem Placidiam captiuam abduxit, Attalumq; Imperatorem

D inſtituit,

inſtituit, vt Occidentis Imperium ab Honorio auerteret. Sed Attali dominatio citò deperijt. In his autem rerum turbinibus, quos Soſimus, eorum temporum Scriptor, commemorat, nihil penitùs vſquam apparet, ex quo quis colligat, Romæ alium, quàm Imperatorem fuiſſe dominatum.

Cum autem Honorius vitam cum morte commutaſſet, Ioannes ex ipſius Ducibus vnus Imperium vrbis occupauit. Sed Valentinianus tertius Romam cum matre Placidia, defuncti Honorij ſorore, Imperialib⁹ Inſignijs, & militaribus copijs comitantibus à Theodoſio Conſtantinopolitano Cæſare, eius conſobrino miſſus eſt, qui Ioannem cōfeſtim expulit, tantamq; in rebus etiam grauioribus prudentiam, & experientiam præſtitit, vt eum ſtatim Populus Romanus Imperatorem ſalutauerit, eiq; Theodoſius, Imperatorio decreto, Titulum Auguſtalem fuerit impartitus.

Temporibus his Leo primus, ſancti nomine inſignitus, Romæ Pontificatum exercebat. Is litteris ad Italos Epiſcopos datis, ſe ſe, ait, ſolertia ſua multos in vrbe Manichea labe coinquinatos detexiſſe, nonnulloſq; eorum ad ſaniorem ſententiam redegiſſe: cæteros verò, qui ſanari abhorruerant, fuiſſe, ex Chriſtianorum Principum conſtitutionibus, (ſic Imperatores appellat) Iudicum ſententia relegatos. Huiuſmodi cauſas ad Religionem attinere nulli dubium eſt, & tamen earum deciſionem Leo non ſibi, ſed Imperialibus adſcribit edictis.

Valentiniano vita functo, Maximus Romani Imperij tyrannus euaſit, mortuiq; Imperatoris vxorē Eudoxiam ſibi matrimonio copulauit: At parùm fęlicibus auſpicijs. Mulier enim, quæ inuito animo ſe ſe huic addixerat cōiugio, clàm ex Aphrica Genſericum Vandalorum Regem, de quo *ſuperiùs* in rebus Aphricæ meminimus, ad Romam

Romam,& Italiam occupandam pellexit; qui auidè arrepta occaſione tercentorum mille militum ſtipatus copijs, in Italiam appulit. At dum ſuam Maximus ſalutem fugæ credit, ab vno famulorũ interficitur. Quare nullo reluctante, Vrbem à ciuium quàm plurimis derelictam barbarus victor inuadit,& ſanctisPontificis Leonis precibus, quæ paulò ante ab eadem vrbe ſæuiſſimũ Attilam auerterant,ad eum nequidquam fuſis,ciuitatem totam, crudeliſſimis hominibus diripiendam dat: ipſe ſpolijs onuſtus,& captiuis circumſeptus, quos inter etiam ReginaEudoxia trahebatur cum filia,quatuor,& decem dies post in Aphricam remeat.

Poſt Genſerici diſceſſum Romani ciues in vrbem reuerſi Auittum Patritij ordinis virum in Imperatorem elegerunt;cum quo Martianus Grçcorum Imperator pactiones,& fœdus iniuit. Eo autem Romæ è vita emigrãte,exercitus Rauennç,Leonis Conſtantinopolitani Imperatoris impulſu,Maioranum quendam creauit Imperatorem,eundemq;tribus ab inde annis de medio ſuſtulit. Hoc perempto Romani ad Imperium Seuerianũ extulerunt,quiDuceRithimoro ab ipſo,& à Senatu in Patritiam dignitatem aſcito,copias aduerſus Alanos in Italiam erupturos miſit,magnaq; illos affecit clade.

Cum autem Seuerianus Romæ tertio ſui imperij año vitam cum morte cõmutaſſet,in eius locum ſuffectus eſt AntemiusMartiani gener,quẽ ideòLeo ad Imperiũ Occidentis aſſumendũ miſerat, vt ei cõtra Vandalos opem ferret: Quare paulò poſt cõiunctis vtriusq; Imperatoris copijs,Genſerici claſsẽ fuderũt,q̃ ille rurſus in Italiã ducebat.Sed ne diu hac victoria Antemius frueret,Richimerus eius Gener GalliamCiſalpinam,q̃ ei ſocer regendam cõmiſerat, aduerſus ipſum irritauit, cõſcriptoque ex ea prouincia exercitu, Romam obſedit Kalimorus

Galliæ Narbonenſis Gubernator, & Olimbrius à Leone iuſſus, quiſq; copijs inſtructis, Imperatori Antemio ſuppetias laturi, Romam acceſſerunt. Quod cum ipſe hilari valdè animo cognouiſſet, Imperialia Inſignia depoſuit, & vitæ priuatæ deditus Vrbis cuſtodiam Senatui, Populoq; commendauit. Richimerus, ſignis cum Bilimeno collatis, eum fudit, interfecitque, & vrbis Romę potitus ſocerum è vita ſuſtulit: at ipſe pariter quarto ab inde mẽſe occubuit. Olimbrius, qui tunc Rauennæ agebat, ad vrbem, & ad Imperium à populo vocatus, dum Romanis rebus ſuffulciendis ſtudebat, & ipſe ibi quarto Imperij ſui menſe fato ceſſit. Tunc Romani, vnaq; Itali omnes ex antiquorum more Imperatorem ſuffragiorum numero eligere ſunt conati. Sed dum in hoc elaborarent, conſiliaq; inter ſe miſcerent, Glicerius Senator, Gundibaro Patritio, qui Olimbrij fuerat nepos, impellente, petijt primò, curauitque, vt ſibi per ſuffragia Imperium deferretur: Quod, cum ei ex voto non ſuccederet, Gundibarus cum armatorum exercitu ſeſe ei adiunxit. Quare Romani ipſum in Imperatorem elegère, ne in Tyrannum haberent. Verùm ipſum eodem anno Nepos Patritius Leonis auſpicijs, & Romanorum ope de Imperio deturbauit, & Epiſcopum Salonenſem conſtituit. Gundibarus præterea in Romanos mouit arma; ſed Diui Epiphanij Epiſcopi Ticinenſis interceſſione pax inter eos eſt inita, & Nepos eſt Imperator creatus. Nepos iſte Oreſtem in Galliam cum exercitu miſit. Oreſtes cum Rauennam ſe contuliſſet, Auguſtulum filium vocauit Imperatorem. Quare Nepos deſtitutus viribus, in Dalmatiam timidus ſe fuga recepit. Hac igitur viciſſitudine vndeuiginti annorum ſpatio Romæ toties Imperatorem mutauit, debilem vnumquemq;. Nec tamen vnquam, etſi toties tantam fuerit nactus oportunitatem, vllus Pontifi-

Pontificum auſus eſt Romanæ ciuitatis nanciſci dominium, aut ſe dominum præfeferre, ne dum Italiæ totius. Cum enim Auguſtulus teneræ adhuc eſſet ætatis, illum Gotthorum, & Herulorum in Italia commorantium auxilio, Odoacer, qui ſub Oreſtis Patris ſignis meruerat, imperio ſpoliauit. Ipſe verò à Romanis vltrò ad dominationem receptus ſe Regem Romæ, & Italiæ, non Imperatorem appellauit; tertiamq; Italici agri partem barbaris militibus conceſſit.

Dum Odoacer Romam, & Italiam obtineret Theodoricus Oſtrogotthorum Rex à Lenone Imperatore Conſtantinopolitano in filium adoptiuum aſſumptus & ab eodem non minima Thraciæ portione, vbi incolebat, donatus, Patrem adijt, & ſe cupiditate teneri aſſeruit ſuas bello copias exercendi, ideò ſibi liceret, Romanæ ciuitati, & Italiæ vniuerſæ ab Odoacro oppreſſis auxiliũ ferre. Aſſentiente igitur, ſiue etiam ſuadente Imperatore, Theodoricus in Italiam contendit, Odoacrum vicit, & annos triginta Populi Romani Principatum obtinuit: cuius temporis curriculo, ſiue quod non planè Romanis fideret, ſiue quod propiùs Conſtantinopolim accedere cuperet, ſeu demùm quod oras Italiæ à barbaris defendere ſtuderet, Vrbem Romam Senatui tegendam reliquit, ipſe Rauennæ, vt plurimùm, conſedit.

Ex horum omnium narratione colligere eſt, Vrbem Romam à Conſtantini Magni obitu ad hæc vſq; tempora nunquam ſub Pontificum, ſed modò ſub Imperatorum, modò ſub Tyrannorum, modò ſub Regum dominatu egiſſe. Quod ſi quis fortè arbitretur, hanc planè dominorum viciſſitudinem non tot liquere argumentis, quot quis animo queat concipere, memineritis tunc Romam ſuarum rerum nullos edidiſſe ſcriptores. Quis autem in vrbe Roma dominatus fuerit Theodorico, &

cius ſucceſſoribus in Italia regnantibus,nulli dubium eſſe poteſt, cum litteræ Caſſiodori, qui Regum illorum fuit à ſecretis, extent. Si.n.leges, & conſtitutiones condere,magiſtratus creare,vectigalia imponere,vrbes munire, reparare, re frumentaria iuuare, meri, & certi imperij ſunt argumenta, hæc omnia legimus acta à Theodorico, ab Attalàrico, & à Theodabato, quorum alter alteri per vices ſucceſſit, & eorum vnuſquiſque Caſſiodori opera vſus eſt.

Vt verò à legibus,& conſtitutionibus ordiamur,multa in ipſius Caſſiodori Epiſtolis conſperſa reperiuntur edicta,de vectigalium Impoſitionibus,de eo,quod Curię miniſtri extorſerint, de vi per priuatas perſonas illata,de magicis carminibus,de adulterijs, de Diuortijs, de Appellationibus,de ſolutionibus,de litium expenſis,de donationibus, & huiuſmodi de rebus: Quæ cuncta Rex, Senatu certiore facto, præcipit publicari, & executioni mandari. Porrò quod ad Magiſtratuum Romanorum creationem attinet; Videre eſt à Regibus, quos diximus,Conſules creatos Felicem, & Paulinum,Patritios, Importunum,& Cyprianum;Præfectos Prætorij,Liberium, & Senatorem, Præfectos Vrbis, Agapitum, Artemidorum,& Argolitum,Quæſtores, Honoratum,Ambroſium,Felicem,&Patritium,Magiſtrum,Eugenitum, Comites,ſacrarum largitionum Cyprianum,& Opilionem; Comitem familiarem, Venantium, Comitem Patrimonij Senarium,Id quod ex epiſtolis ad ipſos datis liquidò apparet.

Quod autem ſpectat ad vectigalia extat Theodabati Edictum de proceribus, qui æs imperatum ſoluere renuebant, ideò forſan, quod caſtra ab ipſis cuſtodiebantur; vt ex *epiſtola* Theodoſij Lebeniani de mœnibus Vrbis Romæ videre eſt: Et ex ea cura, quam Artemidorus

iuſſu

iuſſu Regio ſuſcepit, pecuniam nempè reparationi deſtinatam, nec eum in vſum collocatam, recuperare: Quæ poſteaquam eius viri ſolertia in lucem prodijt, rurſus, Regis mandato in eiuſdem vrbis inſtaurationem collata fuit: Pari ratione fuit Siraco imperatum, vt Theatrum Pompeianum iam iam ruiturum repararet. Idem Rex Aquæductus, qui priuatorum commodo, vel frumento publicè terendo, vel hortis irrigandis inſeruiebant Vrbi reſtituit: Idemque, vt deprauati mores, & corruptelæ tollerentur, Ioannem, litteris ad Senatum, & ad Vrbis Præfectum datis, Rauenna miſit.

Sed non minorem diligentiam eoſdem Reges adhibuiſſe conſtat, ne Roma charitate annonæ laboraret: Ad illam enim ob ingentem eius magnitudinem mirum in modum, quæ ad victum neceſſaria ſunt, ex diuerſis partibus inuehi, & agros, quàm fieri poſſet maximè coli neceſſe erat. Frumenti propterea importandi gratia in Hiſpaniam vſque Theodoricus miſit: & officium omne præſtari Aquileio, iuſſit, qui ex Africa in Italiam traiectus, ſcientiam ſubterraneas aquas rimandi profitebatur, quibus machinarum ope eductis ad agrorum vſum campi, more Afrorum irrigarentur: Quod apprimè Romanorum ſuburbiorum plurima appetebant. Decio autem vltro id ſpondenti paludes quaſdam concedit, quò eas ad id redigat, vt aptæ ſint coli, & imperat Senatui, vt colonos ad eas emacerandas mittat. Theodabatus pariter illos, quos ad rem frumentariam Romanis, Rauennatibus, Ticinenſibus, & Placentinis ſufficiendam iudices elegerant, in eodem munere confirmauit, & frumento precium ſtatui iuſſit. Caſſiodorus autem Patritius, dignitas Romæ tunc temporis à Conſulatu prima, Ambroſio, quem ſui loco ſubrogarat, præcipit,

præcipit, vt Vrbi tantum frumenti ſuggerat, quantum non modò vſui, ſed etiam delitijs ſat ſit, quo fæliciſſima Regum tempora rerum copia latè affluant. Et cum idẽ mandaret, Donaria nomine Regis, veluti moris erat, vicatim diſtribuit, admonitionem Petro ſubdit, vt munus ille ex fide obeat, & multa de recta Vrbis adminiſtratione percenſet.

Atalaricus, litteris ad Senatum datis, imperat, ne ſtipendium Grammatices, Rhetoricesque præceptoribus conſtitutum diminuatur.

Theodoricus Albenio, quo ſibi ædes extruat, ſolum Romæ donat; & Senatui præcipit, vt ſuper turba quadam in vrbe contra Iudæos excitata, per quam Synagoga fuerat diruta, iudicium ferat.

Quid plura? Cum Rex Romam cogitaret, Caſſiodorus Patritius per epiſtolam Maximo, qui vicarias in Vrbe partes gerebat, mandat, vt eius cura pontem nauium compage, ſuper Tyberi talem moliatur, ne titubet, tranſitu facilis ſit: adminicula ob maiorem commeantium ſecuritatem ab vtroq; latere prætendat; *ſic enim*, inquit ipſe, *dominum excipere decet*. Theodoricus verò litteris ad Decium, qui paludem Deceronij de qua ſuperiùs memini, ad aruorum cultum deducere in animo habebat, hæc inter cætera commiſcet. Hinc etiam ad ampliſſimum Senatum præcepta tranſmiſimus, & eandem in vectigalibus imperandis formulam adhibet.

Cum autem Iuſtinianus Theodabato bellum intenderet, Senatus, litteris ad Imperatorem datis, eum pacis ſtudio accendere contendit, in hæc loquutus verba. *Rogamus ergo, clementiſſime Imperator, & de gremio Curiæ duplices tendimus manus, vt pacem veſtram noſtro Regi firmiſſimam præbeatis. Et inferius. Cui rei ſi noſtræ preces adhuc non videntur poſſe ſufficere, æſtimate patriam noſtram in hac precatoria*

Caſſ. lib. 12. Epiſt. 13.

toria verba prorumpere. Si tibi aliquando grata fui, ama, piiſſime Principum, defenſores meos. Qui mihi dominantur, tibi debeant eſſe concordes. Et inferius. *Habui multos Reges, ſed neminem huiuſmodi literarum: Habui prudentes viros, ſed nullum ſic doctrina, & pietate pollentem.* Et inferius. *Quod ſi adhuc minus eſt, B. Apoſtolorum Petri, atq; Pauli petitio ſanctiſſima cogitetur. Nam qui ſecuritatem Romæ ſæpè defendiſſe probantur ab hoſtibus, quid erit, quod eorum meritis veſter non tribuat Principatus: ſed vt omnia reuerentiæ veſtræ congruere videantur, per illum virum venerabilem, legatum piiſſimi Regis noſtri ad veſtram clementiam deſtinatum preces noſtras credimus dirigendas, &c.*

Omitto Theodobati litteras, quibus Senatui leuitatem obijcit, ad eumq; ſpectare in primis aſſerit cultum, & obedientiam erga Principem cæteras prouincias edocere. De qua eadem re cùm ad populum ſcribat, inquit. *Habetis Principem, qui pietatis ſtudio optet inuenire quod diligat.* Caſſ. lib. 10. Epiſt. 14.

Idem Rex cum ſeſe iureiurando, quod ab eo Romana ciuitas enixe popoſcerat, obſtrinxiſſet, ad Senatum his verbis ſcribit. *Senatui Vrbis Romæ Theodabadus Rex imperioſa nimiùm res eſt. P. C. pietas noſtra, quando propria volũtate vincimur, qui alienis conditionibus non tenemur. Nam cum, Deo præſtante, poſſimus omnia, ſola nobis licere credimus laudanda.* Litteris poſtmodum in eandem rem ad populum datis ſic exorditur. *Cognoſcite Quirites, quali vos Princeps veſter firmitate dilexerit, &c.* Et inferius. *Quapropter flexi petitionibus veſtris per illum atq; illum præſtari vobis Sacramenta cenſuimus, vt Regis veſtri animum non habeatis incognitum, &c.* Caſſ. lib. 10. Epiſt. 16. Epiſt. 17.

Plurima mihi ad id afferenda ſuppetunt, ſed hæc ipſa, quæ attuli, ne plura ſint, vereor, quàm opus fuerat, dum mihi patefaciendum eſt, non in Pontificum, ſed in alte-

Digitized by Google

rius generis Principum poteſtate Romam antiquioribus fuiſſe temporibus.

At re vera Clericorum ordo Regibus in ſumma fuit reuerentia, quod ex ijs, quæ modò ſumus adducturi erit cognoſcere: Primò autem non poſſum non afferre totam, (breuis eſt tamen) Theodorici ad Arigernum epiſtolam. *Arigerno V. S. Comiti Theod. Rex. Iuſtitiæ noſtræ conuenit, vt de indultis beneficijs calumnias fieri non ſinamus, & quicquid praua interpretatione tegitur, fugata mendacij nube reuelemus. Defenſores itaque ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ conqueſti ſunt: beatæ recordationis quondam Simplicium domum in ſacratiſſima Vrbe poſitam ab Eufraſio acolyto inſtrumentis factis ſolemniter comparaſſe, quam per annorum longa curricula Eccleſiam Romanam quieto iure ſuggerunt poſſediſſe, & in vſus alienos tranſtuliſſe ſecuritate dominij. Nunc autem exiſtere Samariæ ſuperſtitionis populum improba fronte duratum, qui ſynagogam ibidem fuiſſe iniquis conatibus mentiatur, cum ad humanos vſus habitacula longe aliter formata doceantur, quàm poteſt eſſe memorata conſtructio. Quapropter magnitudo tua, conſcientiæ ſuæ probata iuſtitia cauſam diligenti examinatione diſcutiat, & ſi vera cognouerit, quæ veniunt in querelam conſiderata æquitate definiat. Nam ſi humanis actibus ſunt calumniæ ſubmouendæ, quanto magis credimus emendanda, quæ contumeliam diuinitatis tangere iudicamus?*

Caſſ. lib. 3. Epiſt. 45.

Sed maiorem etiam venerationem erga res ſacras in Atalarico, qui forum Eccleſiaſticum à prophano ſeiunxit, ex his litteris eſt videre. *Clero Eccleſiæ Romanæ. Athalaricus Rex. Tantò Diuinitati plura debemus, quantò à cæteris mortalibus maiora ſuſcepimus. Nam quid ſimile rependat Deo, qui potitur Imperio? ſed licet pro tanto munere nihil compenſari poſſit idoneè: ipſi tamen gratia redditur, dum in ſeruientibus honoratur. Itaque flebili aditione*

Caſſ. lib. 8. Epiſt. 24.

cauſamini,

cauſamini, hoc fuiſſe longæ conſuetudinis inſtitutum, vt ſi quis ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſeruientem aliqua crederet actione pulſandum ad ſupradictæ ciuitatis Antiſtitem negotium ſuum dicturus occurreret, ne clerus veſter forenſibus litibus profanatus, negotijs potius ſecularibus occupetur: Addentes, Diaconum quoque veſtrum ad contumeliam Religionis, tanta executionis acerbitate compulſum, vt Saius eum propriæ cuſtodiæ crederet mancipandum. Presbyterum quin etiam Romanæ Eccleſiæ pro leuibus cauſis, aſſeritis, criminaliter impetitum. Quod nobis pro ingenita reuerentia, quam noſtro debemus auctori, diſplicuiſſe profitemur, vt qui pridem ſacris meruerant inſeruire miniſterijs, conuentionibus irreuerenter nefarijs expoſiti, iniurijs ſubiacerent. Sed aliorum plectenda ſubreptio nobis obtulit pleniſſimæ laudis euentum: vt cauſa contingeret præſtandi, quæ nos cœleſtibus commendauit auxilijs. Atque ideò conſiderantes Apoſtolicæ ſedis honorem, & conſulentes deſiderijs ſupplicantium præſenti auctoritate moderato ordine definimus; vt ſi quiſpiam ad Romanum Clerum aliquem pertinentem, in qualibet cauſa probabili crediderit actione pulſandum, ad Beatiſſimi Papæ iudicium prius conueniat audiendus; vt aut ipſe inter vtroſque more ſuæ ſanctitatis agnoſcat, aut cauſam deleget æquitatis ſtudio terminandam; & ſi fortè, quod credi nefas eſt, competens deſiderium fuerit petitoris eluſum, tunc ad ſecularia fora iurgaturus occurrat, quando ſuas petitiones probauerit à ſupradictæ ſedis Præſule fuiſſe contemptas. Quod ſi quis extiterit tam improbus litigator, atque omnium fuerit iudicio ſacrilega mente damnatus, qui reuerentiam tantæ ſedi exhibere contemnat, & aliquid de noſtris affatibus crediderit promerendum, ante alicuius conuentionis effectum decem librarum auri diſpendio feriatur, quæ à Salatinis ſacrarum largitionum exactæ, per manus ſæpè memorati Antiſtitis pauperibus erogentur, carensque impetratis, negotij quoque ſui admiſſione mulctetur. Dignus eſt enim multiplici pœna

percelli, qui & diuinam reuerentiam, & noſtra iuſſa temerarit. Sed inter vos, quos iudicia noſtra venerantur, Eccleſiaſticis viuite inſtitutis. Magnum ſcelus eſt, crimen admittere, quos nec conuerſationem decet habere ſæcularem, profeſſio veſtra vita cæleſtis eſt. Nolite ad mortalium vota humilia, & errores deſcendere. Mundani coerceantur humano iure, vos ſanctis moribus obedite..

Hic idem Atalaricus litteris datis Ioannem ſecundum Pontificem certiorem facit, à ſe confirmatam fuiſſe legem de Pontificum, Patriarcharum, & Epiſcoporum electione Simoniaca per Senatum, Bonifacij 2. temporibus, conſtitutam, cuius in fine Confirmationis ad Pontificem traditæ, his vtitur verbis. *Orate igitur pro nobis edicta noſtra cuſtodientes; quia diuinis noſcitis conuenire myſteriis. Sed quò facilius principis votum vniuerſorum mentibus innoteſcat, hoc Senatui, hoc populis per Præfectum Vrbis præcipimus intimari: vt generalitas agnoſcat nos illos proſequi, qui maieſtati Diuinæ potiùs viderentur aduerſi. Vos quoq; hoc vniuerſis, quos, Deo propitio, regitis, Epiſcopis intimate; neq; ſit alienus à culpa, qui potuit, agnoſcere conſtituta.*

Caſſ. lib. 9 & 15.

Dum hæc igitur Theodoricus, Atalaricus, Theodabatus, qui ſibi inuicem in Italiæ regno ſucceſſerunt, auctoritatis eminentia pollerent, ſic Eccleſiaſticum ordinem ſunt venerati.

At in conuentionibus, quas Theodabatus cum Iuſtiniano inijt, hoc inter cætera fuit expreſſum, vt Regi nec ordinis ſacri, nec Senatus, nec ipſiuſmet Imperatoris cõſenſu quemquam de medio tollere, ſed bona tantùm proſcribere liceret. Inſuper ſi quando aliquem Rex ad Patritiam, aliamve dignitatem attollere cuperet, id ab Imperatore obtineret. Præterea in ſpectaculis, & publicis acclamationibus Populus nomẽ primò Imperatoris, deinde Theodabati emitteret. Sed cum huiuſmodi pa-

cta Rex

ſta Rex executioni mandare abnueret, Iuſtinianus, Belliſario Duce, in Italiam miſſo, ei bellum intulit, in quo ille vſq; adeo ſegnem, & inertem præ ſe tulit, vt, vel ipſam Neapolim Belliſario obſidente, & obtinente, bellum minimè inſtrueret. Quæ tanta Regis vecordia ita Gotthis ſtomachum mouit, vt illum regno deturbatint, & Vittigem ſuffecerint. Is bellum, quod ei cum Gallis erat, ante omnia conficere inſtituit. Romam igitur Syluerio, Vrbis Antiſtiti, Senatui, Populoque, à quibus fidei ſeruandæ Sacramentum exegerat, commendauit, & quatuor Gotthorum millia ſub Leuthare Duce ciuitatis præſidio reliquit. Verùm ſimul, ac Belliſarius Romam acceſſit populus, & Antiſtes victori manus dedêrunt, & quæ Vrbs per totos ſeptuaginta annos ab Imperio fuerat auulſa, rurſus eſt ei reddita, clauibus portarum ad Iuſtinianum Conſtantinopolim allatis. Belliſarius mœnibus reparandis, & Vrbi muniendæ operam dedit: Et omnem protinùs illam Italiæ oram, quæ intra Ionium mare, & Vrbem iacet, nullis adhibitis armis recuperauit. Sed Vittiges potenti collecto exercitu, Romam, obſidione cinxit, vbi Belliſarius ipſe, paucis ſtipatus agminibùs, conſederat; qui poſtulatis ab Imperatore auxilijs poſt multa argumenta ſubdit hæc verba, vt Procopius, qui vna erat, & ei medici operam prçſtabat, refert. *Omitmitto id dicere, quod & Romanis videbimur perniciem attuliſſe, qui ſuam minoris ſalutem fecere, quàm erga te præſtitam fidem.* *Procop. de Bello Gothorum. lib. 1.*

Cum autem ei ſuſpicio eſſet oborta, Syluerium Pontificem ad Gotthos defecturum in Græciam cum miſit, Vigilium ſubſtituit. Vittiges; elapſo anno, obſidionem diſſoluit, & victore ſæpius Belliſario, ſeſe ei, & ipſe dedidit, qui tantarum rerum potitus Conſtantinopolim remeauit. At qui ſuperfuerãt barbari, paucis abinde men-

ſibus,ſibi in Regem Theabaldum, poſtea Ataricum, denique Thotilam crearunt, qui valida fortunæ vi Romanorum exercitum fudit, & magnam Calabriæ, Latijque partem occupauit. Quare Imperatoris Duces ſeſe intra mœnia receperunt: Conſtantinus Rauennam, Ioannes Romam, Beſſa Spoletum, Iuſtinus Florentiam, Cyprianus Peruſium, alij vrbes, & oppida alia veluti quiſque commodiùs è cæde potuerat effugere, tenebant. Rurſus itaque ab Imperatore eſt in Italiam Belliſarius miſſus, qui, Ioanne Conſtantinopolim reuerti iuſſo, cuſtodiam Romanæ ciuitatis Beſſæ credidit. Thotilas Vrbem obſidione preſſit, qua non remittente, Vigilius è Sicilia multas naues onerarias cum re frumentaria Romam verſus iter abripere iuſſit, quæ cum in hoſtium manus incidiſſent, Vigilius paulò poſt ab Imperatore Conſtantinopolim eſt reuocatus.

Interea cum grauis Romam inedia torqueret, Belliſarius, qui numero militum deſtitutus, ſeſe in Dalmatiam contulerat, in Italiam cum exercitu reuerſus eſt. Thotilam tamen ab ſubiuganda Roma non potuit auertere. Qui capta Vrbe Senatores aſpera verborum acrimonia correpſit: quippè qui multis à Theodorico Rege honoribus cumulati ſeſe ad partes Iuſtiniani contuliſſent, à quo dignitate omni fuerant ſpoliati. Commodum verò ab ſemidirupta Vrbe pedem amouerat, cum Belliſarius in illam eſt ingreſſus: deformatam, vt potuit, refecit: Clauesque iterum ad Imperatorem miſit: exindè regendam Cononi tradidit, qui cum ſordidè adeò ad lucrum omnia referret, vt ipſe frumenti mercaturam exerceret, fuit à militibus de medio ſublatus: qui confeſtim per certos nuncios Imperatori exponi curârunt, Vrbem à ſe Gotthis deditam iri, ni ſibi eorum, quæ patraſſent, venia indulgere-

dulgeretur, ſtipendiaque perſoluerentur, quod facilè impetratum eſt. Tunc, de more, Belliſarius Conſtantinopolim acceſſit, vbi Vigilius Pontifex, vnaque cæteri Italiæ proceres ſuppliciter Imperatorem rogârunt, vt ſuas in vnum colligeret vires, & Italiam totam ſuo adijceret dominatui. Quod cum ille de die in diem traduceret, Thotilas iterum, immani edita Romanorum ſtrage, Romam, & ingentem Italiæ partem occupauit. Quare ſecundum poſt annum Imperator in Italiam Narſetem Eunuchum expediuit, qui ſignis protinus cum Thotila collatis eum fudit, & interemit, Romæque potitus tertiò claues ad Imperatorem dedit. Tum fractis iterum Gotthis, & Teia eorum Rege interfecto penitùs Italiam omnem ab eius nationis vexatione vindicauit. In huius tamen belli deſcriptione, quod ad decimum octauum durauit annum, per Procopium, qui cunctis interfuit, facta, nuſquam indicatur, Romam in manus alias, quàm Imperatorum, aut Regum fuiſſe delapſam: nec veſtigium apparet vllum, quod Pontifices tunc temporis, vel illam poſſediſſe, vel ius aliquod poſſidendi prætendiſſe ſignificet. Et quod de Procopio, poteſt & de Iornande, qui eandem deſcripſit hiſtoriam, & eiſdem vixit temporibus, aſſeuerari. Agathias pariter, qui Iuſtiniani res geſtas, vbi Procopius deſinit, orditur, & ad Imperatoris obitum perducit, nullibi Iuſtinianum Romanæ ciuitatis, vel alterius partis Italiæ dominium à ſe abdicaſſe, aut in Pontificem exornaſſe admonet. Quamquam & ipſe eadem tempeſtate æuum agitauit, nec illum quidquam potuit effugere. Quare pro explorato habendum eſt, Eccleſiam ad illa vſque tempora Imperio prophano penitus caruiſſe. Nec iuris quidem ſpecies vlla, nec actionis ſe prodit, quam amplexati Pontifices aliquid ſibi fuiſſe debitum

aſſerue-

aſſeruerint. At diuinarum rerum dominio contenti, ſi quis illud labefactare, aut conuellere, eſt aggreſſus, magno ipſi animo ſeſe obuiam tulere. Quare mirum non eſt. Imperatores, ad eorum ſanctimoniam habita ratione, interdum rerum etiam humanarum curam eis crediďiſſe, vtpotè qui ſibi certò in animum inducebant, ab hominibus ſanctitate conſpicuis Imperatoriæ Iuriſdictioni nequaquam tenebras offuſum iri; quò Diuus Auguſtinus mea ſententia planè ſpectauit, cum Chriſti per-

Ex trac. 115. expoſit ſuper cap 18. Io. ſonam agens dixit. *Audite ergo Iudæi, & gentes, audi circũciſio, audi præputium, audite omnia regna terrena; non impedio dominationem veſtram in hoc mundo; regnum meum non eſt de hoc mundo. Nolite metuere metu vaniſſimo, quo Herodes ille maior, cum Chriſtus natus nuntiaretur, expauit, & tot infantes, vt ad eum mors perueniret, occidit, timendo magis, quam iraſcendo crudelior. Regnum, inquit, meum non eſt de hoc mundo.*

Et quæ copioſiora in hanc rem ſequuntur. Si enim vetuſtis illis ſæculis Romana Eccleſia humano imperio prouincias, & regna tenuiſſet, diuinus ille Doctor ob ſanctę ſedis reuerentiam minore libertate fuiſſet loquutus, ne Sacerdotem ſummum vicarias Chriſti partes ſuſtinentem de eo forſan inſimulare videretur, quod à Chriſto longiſſimè abfuit.

Ex aduerſo multi, qui hodie de hac re verba faciunt, humanum Eccleſiæ imperium in tempora, quò poſſunt, vetuſtiora transferunt, aſſeruntq; , Chriſtum mundi totius fuiſſe Imperatorem, licet poſſeſſionem non fuerit adeptus, & in id Pſalmi verba ferunt in medium. *Eius eſt terra, & plenitudo eius, &c.*

Si quis verò aſſerit, Eccleſiam temporibus vetuſtioribus nullum poſſediſſe Regnum, niſi ſacrum, ei à Chriſto Domino conceſſum, cum dixit; *Dabo tibi claues Regni cælorum;*

lorum; reſpondent, Eccleſiam, poſt Conſtantinum magnum ſemper poſſediſſe Imperium Occidentis, afferunt enim, *Syluester poſt diſceſſum Conſtantini præerat Religioni, erudiebat Romanos, eorum, quæ Conſtantinus egiſſet teſtimonio, probabat Religionem eſſe veram generis humani ſalutem, per vniuerſum terrarum orbem ad Eccleſias de facto Conſtantini ſcribebant, Magiſtratibus, Prætoribusq́; prouinciarum, quæ gubernarent Chriſtianæ Religionis eſſe probabat, ſi quos è veſtigio ad pietatem commouere poſſet, ſin minus, ſinebat eos præeſſe, gubernare. Non potuit fieri ſubita mutatio à profanis ad ſacra, quemadmodum non itur repente à morbo ad ſanitatem.*

Aug. Steuchus in Lau. Vallam lib. 1. cap. 32.

Verba hæc ſunt ipſa in vnum congeſta, quæ ſi meo percipiuntur intellectu, nil niſi imperij ſacri exercitationem indicant: quod ſi Pontifici ab Imperatore datum ominantur, aduerſantur ſententiæ, à qua recedere nefas eſt, Pontificem nempè rerum ſacrarum curam vni Deo acceptum referre. Id quod primò ex illorum verborum efficacia maximè emanauit, *Paſce oues meas.* Sed forſitan per ea, quæ ſubijciam, nos hiſtorici modum docebunt, quo Eccleſia ad id dominij, quod ſæculare dictitant, eſt prouecta. Quod ſequitur igitur diſpiciamus. *Bonus Medicus ſequitur naturam, tempusq́; optimus pietatis præſul non ſubitò cuncta turbabat, rapiebat, prouincijs idolatras deturbabat, Satis erat Imperium fuiſſe Chriſto; & Petro conſecratum. Tempus autem, opitulante Deo, paulatim animos mutabat, ſenſim ab idolatria tranſiebatur ad Religionem, ſenſim Imperium, iam ſemel ſacratum, ad eos redigebatur, quibus fuiſſet ſacratum. Paulatim imperare incipiebat Religio; Imperij habenas capere, ius ſuum acquirere.*

Idem Steuchus ibid.

Si quis rationem tradere voluiſſet, qua gentes à falſo Deorum cultu ſeſe ad Chriſtianam Religionem receperunt, nullis verbis, autumo, his magis aptè, quàm his potuiſſet vti. At non eiſdem humani regni acquiſitio ſignificatur.

ficatur.

ficatur: Cum regnum exerceri non poſſit; niſi prouincijs gubernatores præficiendo, leges rogando, fidelitatis iuramentum à populis exigendo, & ea demùm peragendo, quæ ſummus Pontifex hodiè peragit, tunc facta non fuere. Sed, bone Deus, quam hi tranſuerſi rapiuntur; dum hanc ſectantur opinionem. Poſt enim longam diſſertationem ad hæc vſque effutienda concidunt. *Quocirca non mirùm, ſi permittente, & conueniente Syluestro, multiſque Pontificibus, poſt Conſtantinum in Italia Imperatores, qui res Occidentales moderentur, præfuerunt. Eos habuit Syluester vti regni, Chriſto ſacrati, miniſtros, habuit, & habere ſe probauit. Volens, & prudens paſſus eſt eos imperare, reiecta in eos cura gubernandi: Oſtendebat tamen, & fatebatur, ea Chriſti eſſe, Imperiumq; illud religioni donatum Chriſto, & Petro à Conſtantino.*

Steuchus ibid.

Hæc eorum ſunt verba. Sed quid hæc aliud ſunt, quàm ſonitus ſine re? cum, ſi fides illorum temporum Hiſtoricis, qui per hominum manus deferuntur, eſt habenda, perſpectum planè ſit, Imperatores Romam, cæterasq; prouincias eo iure penitus, quo propria regna, tenuiſſe; nec in Pontificibus vllam vnquam humanarum rerum Iurisdictionem agnouiſſe.

Et tamen Propugnatores hi prophanæ in Eccleſia Dominationis vſq; adeò, vel paulisper laceſſiti, excandeſcunt, vt magnam ab illis, qui contra ſtant, iniuriam inferri Chriſto clamitent:

Chriſtianam Hiſtoriam huius aſſertionis fundamento inniti; Religionem, hoc adempto, corruere.

At quidem hi dum humanum Eccleſiæ regnum nimis attollunt, diuinum, quod veritate, non mendacio fulcitur, deprimere, & flocci facere videntur. Nam ſi humano Imperio Chriſtianæ Religioni opus fuiſſet, qui filius Dei erat, & quicquid regnorum habet orbis, nutu verſare

verſare poterat, à regno non abhorruiſſet: aut ſaltem, cum eum populum in Regem eligere properauit, ſeſe popularibus acclamationibus non ſubduxiſſet. Fuerit aliquando Conſtantini Donatio: illa certè nullo vnquam tempore effectum aliquem eſt ſortita.

Tueamur Eccleſię Regnũ, quod modò, legibus, & ratione poſſidet: iura inſtaurem⁹, ne vetuſtate collabaſcãt: Actiones propalemus, quæ nũc illi maximæ competunt: ſed in nugas, & in fabulas petulãter non excurramus. Ne Romanæ potentiæ hoſtes vnica detecta falſitate cætera inde omnia labefactent: & illud Virgilianum intonent:

Crimine ab vno diſce omnes.

Eccleſia, quod res humanas attinet modò inopis, modò affluentis, modò humilis, modò elatæ, prout temporum viciſſitudo exegit, faciẽ hactenus induit, & ipſa ſuos paſſa manes: Aliquam modò harum variationum ſeriem attingam: & initium, & incremẽtum humani in ea regni breuiter euoluam. Eccleſia igitur primis temporibus dominationem nullam, nec vllius generis prouentum aliquem habebat, ſed Apoſtolorum more, bona venundabat, & pecunias ita condebat, vt illæ in dies pro Clericorum, & egentium victu depromerentur.

Vrbano autem primo, qui anno ducenteſimo vigeſimo tertio tantam dignitatem eſt nactus; Eccleſia poſſidere bona cœpit, è quorum prouentu, ꝙ erat vſui, Clericis, & ijs, qui Martyrum geſta litteris cõmendabant, impertiebatur: Proximi ab eo Pontifices eosdem cẽſus pijs promouendis operibus erogarunt: Nec peculia, de quibus in Epiſtolis Beatus Gregorius meminit, ex alio rerum cumulo fuerunt conflata.

Labẽte ſed tandem tẽpore Eccleſia tùm Principũ donatione, tum alio titulorũ genere ad aliquẽ imperij gradũ ſenſim conſcẽdit, Quod dein vel Pontificiã dignitatẽ

 conſer-

conſeruandi, vel hæreticos, & reliquos Christiani nominis hoſtes coercendi, vel iuſta demùm alia cauſa retinere, viſum eſt opportunum. Quare ex his etiam licet iudicare, humanum Eccleſiæ Regnum, quod Temporale dicunt, eſſe quid diuerſum, & ſuâ naturâ ſeiunctum à ſacro, quod ſpirituale appellāt; ita vt id, quamuis à Temporali penitus deſtitutum, idem ſit, & eadem interna præditum virtute, & potentia. Nec ei Temporale eſſe connexum, vti quid magis dignum, vel dignitate par, ſed inſtar famuli, & mancipij. Porrò cum huiuſce eminentiſſimæ ſpiritualis Iuriſdictionis ergo ſeſe Chriſtiani Imperatores, & Reges aliquando Pontificibus demiſerint, ſcriptorum nonnulli, qui nil niſi temporale dominium præ oculis habuere, hinc inuerecundi potiùs, quàm ſeſe campò magnanimi intulerunt, & dicere auſi ſunt, quod Pontifices ſpirituali dominio regna temporaliter ſubiecerint. Sed iam tempus exigit vt ad illud reuertamur, vnde ſumus digreſſi.

Deletis in Italia Oſtrogotthis, rebusque Romæ aliquantò compoſitis, Narſetes Romanorum Clericorum precibus ſollicitatus Iuſtinianum rogauit, vt eis Vigiliū Pontificem, qui relegatus detinebatur, reſtitueret. Imperator Pontificem ad ſe, clericosq; accerſiuit; & ijs affirmantibus, ſe non Pelagium, ſed Vigilium in Pontificem velle, Romam cū libertate remiſit omnes. At cum in Siciliam appuliſſent, Vigilius vitam cum morte commutauit. Quare vt Imperatori res grata fieret, Pelagiū, qui legatus ad ipſum antea fuerat, Pontificem crearunt. Andreas Agnellus Rauennas, Hiſtoricus temporum, quibus vixit, inquit, Iuſtinianum Principum Oſtrogotthorum bona, quæ proſcripſerat Romanæ Eccleſiæ dono dediſſe, & propterea Cathedrale Vrbis Templum, & Monaſteria ampliſſimos poſſidere prouentus in agris omnibus,

omnibus, qui ab Appenino intra Picenum, & Padum, Placentiam vſque, quique vltra Padum ad Mincij ripas, & ad paludes, & ad Hadriam extenduntur.

Narſeti in ſucceſſorem miſſus in Italiam Longinus fuit, ad Imperium poſt Iuſtiniani obitum, Iuſtino aſſumpto. Tunc Mediolanum, Ticinum, Brixia, Verona, aliæque ciuitates, & oppida, quæ priùs ab vno Degiſteo, locum Imperatoris tenente, gubernabantur, incœperunt à populis ipſis absq; Imperatorio Magiſtratu, & abſque Prçſide regi: noua q; Regiminis ratio Romam, & Italiam occupauit; cuius vitio ſunt adeò dignitate, gloria, & exiſtimatione vrbes Italiæ protinùs diminutæ, vt calamitates omnes, quibus centum, & ſeptuaginta annorum ſpacio fuerant oppreſſæ, ſi huic vni malo compararentur, minus obfuerint. Longinus nouo Exarchatus nomine in Italiam introducto, quo ſummus magiſtratus appellabatur, inſtituit, non vt præſes aliquis integræ prouinciæ, aut regioni imperaret, ſed vt quæq; ciuitas, & oppidum proprij Rectoris iuſſa ſequeretur, quos Duces nominauit. Sic Roma cæteris Italiæ vrbibus oppidisq; æquiparata, honoris pluſculum in eo tantum eſt illi impartitus, quod qui primò Romam eſt moderatus, Præſidem vocauit. At qui, exinde ſequuti ſunt, Ducum nomine, & ipſi fuerunt appellati. Quare eodem modo Ducatus Romanus, quo Ducatus Narnienſis, aut Spoletanus, dicebatur. Nec Roma poſt Baſilium, qui vnà cum Narſete conſul fuit, Conſules, aut Senatum ritè conſcriptum vidit: ſed à Duce Græco, qui Rauennâ ab Exarca mittebatur, diù gubernata eſt. Iuſtino Imperatore, Longino Exarca, Longobardi in Italiam irruperunt, cumq; nullum offenderent obicem, magna confeſtim illius parte ſunt potiti: nec ſibi tantum Ciſalpinam Galliam, verùm etiam ingentem Flaminiæ, latijq; portionem ſubiecerunt: Calabria

bria tantùm, Appulia, locisq; finitimis in Imperatoris fide perſiſtentibus. Poſt Iuſtini obitum, Tiberius, ad Imperium euectus, bello cum Roſſianis proſperè geſto, & Mauritio genero ſibi in ſucceſſorem electo nullam ad Italiæ defenſionem curam appellebat. Quare Pelagius, Pontifex, & Germanus Romæ Præfectus Romanos obſidione oppreſſos in illam pertraxêre ſententiam, vt à Longobardis inducias peterent, quas ipſis Longobardi ob Gallicarum copiarum timorem, quæ propè imminebant, non illibenter conceſſerunt. Pelagius, qui per illas turbas absq; Imperatoris decreto in Pontificem fuerat aſſumptus, Principis indignationẽ veritus, Gregorium, Pontificis poſtmodum, & ſancti nomine decorandum, Conſtantinopolim miſit, qui ſibi veniam obtineret, & vrbi Romæ ſubſidium efflagitaret. In huius Legati reditu Smaragdus, qui Longino ſucceſſerat, Germanum Gregorio comitem natione Conſtantinopolitanum patritij ordinis virum Romam miſit, & vrbis Præfectum creauit.

Pelagio correpto Gregorius fuit à Romanis in Pontificem electus. At ille, quippè in inuitum collocabatur dignitas, per litteras Imperatorem rogauit, ne ſe Decreto Pontificem confirmaret: Litteris autem à Romano, Vrbis Præfecto, interceptis, alijsque datis, Gregorius eſt confirmatus. Smaragdo in Exarcatu Romanus genere Græcus Mauritij Imperatoris nutu ſucceſſit, qui ſe cum exercitu Romam contulit; eaque munita finitimorum locorum multa à Longobardis recuperauit: tamen poſt res illas benè geſtas, ſeſe vitijs omnibus polluere non eſt moratus. Longobardis, vt cuncta diriperent, habenas laxauit: cum eis confligere recuſauit: populum Romanum cum ipſis, vel inducias, vel pacem inire vetauit. Quare Sebaſtiano Ceriniensi Epiſcopo de illo in hæc verba

verba litteræ dantur. *lib.4. ep.35. Quæ enim frater de amici noſtri domini Romani perſona in hac terra patimur, loqui minimè valemus. Breuiter tamen dico, quia eius in nos malitia gladios Longobardorum vicit, ita vt benigniores videantur hoſtes, qui nos interimunt, quam Reip. iudices, qui nos malitia ſua, rapinis, atq; fallacijs in cogitatione conſumunt.* lib.4. epiſt. 35.

Hic animaduertendum eſt, quod Gregorius Magiſtratum Imperatoris appellat iudices Reip. quoniam Reip. nomen ſuperarat adhuc, ideoq; idem Gregorius *in epiſtola 51. libri 8. ad Leontium*, ita refert. *Hoc. n. inter Reges gentium, & Imperatores Romanorum diſtat; quia Reges gentium domini ſeruarum ſunt; Imperator verò Romanorum Dominus liberorum.* lib.8. epiſt. 51.

Et in ea, quam ad Focam tunc euectum ad Imperium dat *lib.11. ep.36.* ſic ait. *Qui exeat fœliciſſimis temporibus verſis vniuerſa Reſp.* lib. 11. epiſt. 36.

Poſt Romanum Gallinicius, & ipſe Conſtantinopoli, quartus Exarca miſſus fuit, cuius interitum poſtquam Mauritius intellexit; rurſus Smaragdum miſit, cui Focas Ioannem Lemigium Thracem in ſucceſſorem inſtituit; Huic Eleuterius Patritius Conſtantinopolitanus ſucceſſit, Eleuterio Iſacus eiuſdem ciuitatis Patritius, Iſaco Theodorus etiam Patritius cognomine Caliopa, quem Heraclius nominauit.

Ante Gallinici obitum Romę commorabantur, Gallinici ſuaſionibus ab Imperatore Mauritio illic miſſi, Gregorius Præfectus, de quo Diuus Gregorius meminit, & Caſtorius militum Magiſter, ambo Grę̨ci. His cuſtodiēdæ Vrbis gratia mille circiter veterani milites adiuncti erant; quibus à Mauritio cum non tantùm ſtipendia non perſoluerentur, ſed quidquid pecuniarum Romæ poterat exigi, Rauennam mitteretur, Gregorius frumentum Eccleſiæ publicum inter eos diuiſit:

Cumque

Cumque ab Aiſtulpho Longobardo, Tuſciæ Duce, pax obtinere poſſet, Pontifex aſſenſu Præfecti, & magiſtri militum litteras ſuper hoc ad Ioannem Rauennatem Epiſcopum dedit, qui Smaragdum compellaret. At cum de his Smaragdus minimè laboraret, Gregorius pacem, duodecim Magiſtratibus in hanc ipſam euntibus ſententiam, cum Longobardis firmauit. Quare Smaragdus grauiter Pontificem apud Imperatorem accuſauit: Imperator in Pontificem indignatione vehementi inflammatus magnam militum manum è Roma auocauit, bellum in Aiſtulphum reintegrari iuſſit, non tamen contra Vrbem quidquam eſt molitus. Ob ſimultates has, quæ Pontifici cum Imperatore intercedebant, Aiſtulphus ad Longobardorum regnum elatus, Romam obſidione tentauit, quod tædium per annum ſolidum durauit. Vrbem verò Pontifex, Præfectus, & militum Magiſter, vt ipſe Gregorius Mauritio Imperatori ſignificat, ſunt tutati. Nec tamen ex his, quæ ſumma fide, ex hiſtoricorum libris decerpſi, iudicium ferre licet, Romanæ vrbis ditionem, quemadmodum affirmat Genebrardus, Pontifice Gregorio, ad Eccleſiam ſpectaſſe. Patet .n. ſub dominatione Imperatoris, & ab Imperatorijs magiſtratibus illā fuiſſe gubernatam; Quod idem Diuus ipſe Gregorius apertè innuit, cum Conſtantiam, Mauritij vxorem, per litteras de pluribus certiorem facit, præcipuè verò de pecunijs, quas 27. annorum ſpacio, dum ille Romæ inter Longobardorum arma verſatus erat, Eccleſia pro Reip. vſibus impenderat, nec ei tamen adhuc ab Ærario, vt ratio poſtulabat, ſatis erat factum. Ad Donellum verò ſcribit de nouo vectigali, quo, vt militibus proſpiceretur, Roma, præter Imperatoris aſſenſum, grauanda erat.

Nec obeſt huic veritati, quod in manumiſſione Montani, & Thomæ tribus Præsbyteris, & duobus Diaconis teſtibus

teſtibus facta, Pontifex aſſerit. *Nos Montanum, atque Thomam famulos S. R. Eccleſiæ, cui Deo adiutore, deſeruimus, liberos ex hac die, ciuesq́; Romanos effecimus.* Tollit enim omnem dubitationem ea, quæ Socrates in Hiſtoria Tripartita, de legibus Chriſtianorum fauore à Magno Conſtantino promulgatis, enarrat: dum ibi ſic ait. *Illud quoq́; nos relinquere dignum non eſt, quod pro vtilitate ſancitum eſt eorum, qui in Eccleſiis manumittuntur. Cum propter ſubtilitatem legum, etiam inuiti poſſeſſores difficultatem paterentur circa dationem melioris libertatis, quam ciuilitatem Romanam vocant, tres poſuit leges, decernens omnes in Eccleſiis manumiſſos ſub teſtimonio ſacerdotum, per hanc piam adinuentionem Romana ciuilitate frui: cuius iudicium, præſens etiam tempus ſeruat.* Epiſt. 12. lib. 5. Hiſt. tripartita lib. 1.

Nec Hiſtoriæ tantùm hac de lege meminêre, ſed illa etiam in Codicem eſt relata. Quare beneficium hoc Imperatori potiùs quàm Pontifici acceptum referri debet. Quò fit, vt vel ipſe erubeſcam, dum, Genebrardum virum alioqui litteratum, hic non erubuiſſe, animaduerto. Cum notum ſit lippis, atq; tonſoribus ſeruos omnes ex manumiſſione, per quemuis dominum facta, ius Romanę ciuitatis acquiſiuiſſe: prout ex eodem Codice pluribus in locis palàm eſt videre. Quia lex non tantùm Imperatorum; ſed vetuſtiſſimis etiam Reip. temporibus viguit, & à Seruio Tullo Romanorum Rege ſexto inſtituta, ciuitatis ampliandæ cauſa, populorum confluentia fuit, vt in Dionyſio Halicarnuſæo maximè eſt videre, quod Cicero *in oratione pro Cor. Balbo* his verbis exprimit. *Seruos denique, quorum vis, & fortunæ conditio infima eſt, benè de Rep. meritos, perſæpè libertate, id eſt, ciuitate, publicè donari videbamus.* Mauritio ſucceſſit Focas, quo imperante, cum Longobardis pax eſt inita. Vſque.n. ab initio conflictationum Longobardicarum Gregorius, & ſucceſſor

in id ſemper plurimùm operæ contulit, vt componerentur, & miſerijs, quibus opprimebatur, Italia leuaretur.

Focaſis, Bonifacio Pontifice id efflagitane, Romanam Eccleſiam Eccleſiarum omnium Caput, & Principem declarauit. Cum verò ad Pontificatum Bonifacius quartus fuiſſet euectus, dono ab eodē Imperatore Pantheona obtinuit, mira excellentia templum, à M. Agrippa erectum, & Dijs omnibus dicatum. Quod Pontifex Deiparæ Virgini, & Diuis cunctis denuò conſecrauit. Id quod ipſe etiam Genebrardus refert. Quare ipſe viderit, qua fronte affirmare audeat, Romam tunc ſub Pontificū imperio fuiſſe: cum Pontifices nec in ipſa quidem tēpla ius tunc habuiſſe ſignificet. Et annus tamē à Chriſto nato ſexcētesimus vndecimus voluebat, & Romę omnes, paucis exceptis, Chriſtianam religionem profitebantur.

Honorius primus, pariter, qui paulò poſt aſſumpſit Pontificatum, pacis adminiculo ſuffultus, quæ adhuc in Italia colebatur, Romanæ ciuitatis templa reparauit, & ornauit; quorum tamen omnium operum nil iam ſupereſt ſpectandum, præter templi Diuo Petro dicati culmen, cui metallum è Romuli Delubro Heraclij Imperatoris conceſſione, ablatum ingeſſit: ſed & idem plura è fundamentis erexit.

At, in viuis adhuc Heraclio exiſtente, Iſacium Exarcham cupiditas inuaſit aurum omne, gemmas, cæteraq; pretioſiora, quæ Regum, & Imperatorum dono in Lateranenſi Domicilio aſſeruabantur, abripiendi: Quod vbi conſilium cum Mauritio Cartolaro homine Gręco, quē ipſe Romam miſerat, vt Vrbi, & militibus præeſſet, contulit; Mauritius Magiſtratibus, pollicitatione ſibi deuinctis in opinionem egit, ab Honorio Pontifice vehemēter ipſis inuiſo, pecunias ſtipēdiorum ab Imperatore Romā miſſas in Vaticano fuiſſe abſtruſas, eoſq; vt illas indè egerent,

Digitized by Google

rerent, eſt adhortatus. Grçcorũ auaritię Seuerinus Pontifex, qua potuit dexteritate, ſeſe obuiam tulit: Exarcha tamen Romam vectus opes illas omnes abſorbſit.

Ex eo tẽpore magnopere in Italia ſublabi, & retro referri Imperatorum fortuna cœpit, quæ penè iam in Aſia penitus corruerat. Longobardorum verò Regnum vſq; inualeſcebat. Quare Conſtans Imperator Italiam, Romamq; petijt: vbi re nulla præclarè geſta Vrbem ornamẽtis omnibus, marmore, metalloq; nobilioribus expoliauit. Indè in Siciliam appulſus, ibi per quinquenniũ eſt commoratus. At cum ipſum Siciliam, Calabriam, Africam, & Sardiniam inauditorum vectigaliũ pondere colliderer, coniuratorum manu de medio eſt ſublatus.

Imperium, eo perẽpto, aſſumpſit Conſtantinus filius, qui, Benedicto ſecũdo Pontifice, decreuit, quod quicũq; in poſterũ à Clero, à Populo, & ab exercitu Romano in Pontificem eligeretur, is Imperatoris, aut Exarcæ cõfirmatione nõ egeret: nec ideò obijci poſſet, quomin⁹ legitime creat⁹ haberet. Hoc igitur nouo electionis genere omniũ primus ad Pontificatũ elat⁹ fuit Ioãnes Quintus.

Conſtantino Iuſtinianus ſecundus, ei filius, ſucceſſit, qui precibus, & ſuaſionibus Cononis Pontificis motus Calabrum, & Siculum Romanæ Eccleſię Patrimonium plurium tributorum onere leuauit.

Ab his cum Theodorus Exarcha ſatis conceſſiſſet, eo munere Ioannes Platina functus eſt, qui, vbi Rauennam peruenit, magiſtratus, à quibus Vrbs, Populus, & Ærarium gubernarentur, Romam miſit.

Non multò ab hinc tẽpore, cum Concilium ſexto fuiſſet Cõſtantinopoli celebratũ, Sergius Pontifex ſubſcribere noluit ſanctionibus quibuſdã ibi inſtitutis, vti à Catholicæ Fidei ritu alienis. Quare Iuſtinianus Imperator indignatione correptus Romam Zachariam Protoſpa-

Digitized by Google

tarium miſit, vt indè Conſtantinopolim Sergium Pontificem captiuum abduceret, quod Romani populi, cæterorumq; Italorum aures, animosq; grauiter perculit. Milites verò, qui in Exarchatus finibus continebantur, ira perciti ob tantam contumeliam, quæ Romanis, Italis, & Pontifici inferebatur, arma corripuere, & Romam aduolârunt, è quorum, & è Romani populi furore Protoſpatarius euaſurus ſeſe in latebras coniecit. Pontifex tamen illum indè tuto eduxit; eductus aliorſum iter fecit.

Tunc Romæ magnum Pontificia auctoritas cœpit incrementum. Sergio Ioannes 6. ſucceſſit, quo Pontifice Abzimarus Imperator Exarcam in Italiam miſit Theophilogium, ſeu Theophilatium, qui cum non recta Rauennam, ſed, in Siciliam appulſu, Romam primò tenderet, ſuſpicio increbuit, ab eo nouas malorum origines creatum iri. Ideò cum iam, & Græcorum, & Conſtantinopolitani Imperatoris nomen Italis exoſum eſſet, milites omnes ad Romam conuenerunt. Exarca, qui reuera multas ciuiũ proſcriptiones animo voluebat, re infecta, Pontificis hortatu, Rauennam ſe recepit.

Ioanni Ioannes 7. ſucceſſit, qui Pontificum primus, vt aliquorum eſt ſententia, dominatum humani iuris exercuit, & hic vſq; magis in dies inualeſcere, quantum ex aduerſo Imperium Orientis in deterius ruere. Cum igitur nos hactenus ſcriptorum aſſentationes refellere ſtuduerimus, nunc omnem in eo adhibebimus operam, vt rationem, & iura in medium afferamus, quibus prouinciæ, & ditiones multæ in Romanæ Eccleſiæ manum inciderunt.

Platina in eius, quem ſuperiùs nominaui, Pontificis vita inquit. *Sunt qui ſcribant (ſine auctore tamen) Arithpertum Longobardorum Regem, religione motum, condonaſſe Al-* Io. 7.

pes

pes Cottias B. Petro, & quidquid à Taurinis, & Medullis Genuam vſque, Liguſticamq́ protenditur. Alij autem affirmant, donationem ipſam ab Arithperto confirmatam fuiſſe. Verùm cum de donatione nil certi habeatur, paleamq́ Pontificij Iuriſperiti appellent, quòd ſine frumento ſit, nihilque Conſtantinianæ eloquentiæ, ac dignitatis habeat, quomodo de confirmatione conſtabit, &c.

Hactenus Platina, in Chronicis verò Martinianis nec verbum quidem in hanc rem. Quare videtur, poſſe non iniuria hanc Eccleſiaſtici iuris actionem in dubium reuocari: licet ergo in opinionem inter vtrumque conſtitutam adducar; aliquid nempè veri de hac donatione, aut tale quid extitiſſe. Me verò in hanc ſententiam trahit Pauli Diaconi, etiam Longobardi, temporum illorum, vel haud multo recentiorum ſcriptoris auctoritas, qui ſic inquit, *Hoc tempore Arithpertus Rex Longobardorum, donationem patrimonij Alpium Cottiarum, quæ quondam ad ius pertinuerant Apoſtolicæ ſedis, ſed à Longobardis multo tempore fuerant ablata, reſtituit, & hanc donationem aureis exaratam litteris, Romam direxit.* Paul. Diac. lib. 6. cap. 78.

Hucuſque Diaconus. Hoc idem tenet Anaſtaſius Bibliothecarius Apoſtolicus, qui ſic in Ioanne 7. ſcribit, *His temporibus Arithpertus Rex Longobardorum donationem patrimonij Alpium Cottiarum, quæ longa per tempora à iure Eccleſiæ priuata fuerat, vt ab eadem gente detinebatur, in litteris aureis exaratam, iure proprio B. Apoſtolorum Principis Petri reformauit.* Anaſt. Bib. Io. 7.

Et in Gregorio 2. addit. *Eo tempore Luitprandus Rex donationem Patrimonij Alpium Cottiarum, quam Arithpertus Rex fecerat, hicq́ repetierat, admonitione tanti viri, vel increpatione redditam confirmauit.* Greg. 2.

Nec eſt, quod quis in hoc fidem Anaſtaſij arguat: Fuit enim plurium Pontificum à Secretis, & ijs temporibus Greg. 2.

proximus. At *ſuperiùs* oſtendimus Eccleſiarum Patrimonia fundos fuiſſe, non iuriſdictiones. Quare, ſi quid coniectura conſequi licet, & quod ſentiam, afferre; nil hic mihi ſub aſpectum cadit de Conſtantini, ſed de Patrimonij cuiusdã in Alpibus Cottijs donatione: vt ex ipſis Auctorum verbis colligere eſt. Nam, ſi Rex ille religione commotus omnia Eccleſiaſticis reſtituere conſtituiſſet, quę iuris Eccleſiaſtici Conſtantinianę donationis virtute fuerant, quidquid in Italia poſſidebat, opus illi fuiſſet reſtituere. Quandoquidem, vt ferunt, donatione illa, & Italia, & Imperium omne Occidentis continebatur. Si verò ipſi tot prouincias eiuſdem Eccleſiaſtici Iuris, cuius Alpes erant Cottię, detinere religio non erat; non video ſanè, cuius religionis ſtimulus eum ad vnius illius partis reſtitutionem ageret. Sed hæc differendi cauſa.

Hoc autem Patrimonium fuiſſe à Ducibus occupatũ, credibile eſt, qui Longobardorum aduentu poſt Cleſij mortem, rerum potiti ſunt, anno Luitprandi donatione circiter cẽteſimo, trigeſimo, vt ex eiuſdem Diaconi verbis conijcere licet, qui ſic inquit. *Per hos Longobardorum Duces ſeptimo anno ab aduentu Albuuin, & totius gẽtis, ſpoliatis Eccleſiis, ſacerdotib⁹ interfectis, ciuitatibus ſubruptis, populiſq́, qui, more ſegetum, excreuerant, extinctis, exceptis his regionibus, quas Albuuin ceperat, Italia ex maxima parte capta, & à Longobardis ſubiugata eſt.* (Lib. 2. cap. 32.)

CAPVT X.

De iure, quod Pontificibus in Alpes Cottias competit.

SED, quo iure Alpium Cottiarum Patrimoniũ ad Eccleſiam ſpectaret, vt Longobardus, & Bibliothecarius referũt, aut, quo tempore illud poſſederit, me ſcriptorũ nemo edocuit. Blondus, de quo forſitan innuit Platina,

recen-

recenſet, Cottias Alpes ab Ariperto fuiſſe Diuo Petro donatas. Vt autem dignoſcamus, quàm latè pateat harum Alpium dominatus, ne per opinionũ ambages abripiamur, ipſius Diaconi deſcriptionem afferemus. *Quinta verò Prouincia Alpes Cottiæ dicuntur, quæ ſic à Rege Cottio, qui Neronis tẽpore fuit, appellatæ ſunt. Hæc à Liguria in Eurum verſus, vſq; ad mare Tyrrenum extenditur, ab occiduo verò Gallorum finibus copulatur. In hac Aquis, vbi aquæ calidæ ſunt, Dertona, & monaſterium Bobium, Genua quoque, & Saona ciuitates habentur.* Lib. 2. cap. 16.

In hac deſcriptione animaduertendum eſt, Cottium illum, à quo nomen Alpes ſumpſerunt, Claudij temporibus extitiſſe, ab eoq; titulo regis fuiſſe inſignitum, veluti Dion Caſſius, his verbis inquit. *M. Iulio Cottio paternum principatum, quem ad Alpes ſui nominis habebat, adauxit, tunc primum Regem appellans.* Dion. Caſſ. lib. 60. Claudius.

Quin imò, Auguſto imperante, ſub M. Craſſi, & Gnei Cornelij conſulatu, cum Alpium populi in ſeruitutem redacti fuerunt, quod quinquaginta ſeptem annorum ſpacio ante contigit, iam tum etiam Cottius, qui Rex fuit appellatus, vitam agebat, & is forſitan M. Iulio Cottio pater erat, de quo, Alpes Cottiæ nominantur, & à Marcellino præſertim. *Gallia à latere quidem auſtrali Tyrreno alluitur, & Gallico mari: qua cæleſte ſuſpicit plauſtrum, à feris gentibus fluentis diſtinguitur Reni: vbi Occidentali ſubiecta eſt ſideri, Oceano, & altitudine Pirenæi; vt ad ſolis ortus attollitur, aggeribus cedit Alpium Cottiarum, quas Rex Cottius, perdomitis Galliis, ſolus in anguſtiis latens, inuiaque locorum aſperitate confiſus, lenito tandem timore in amicitiam Octauiani receptus principis, molibus magnis extruxit ad vicem memorabilis muneris compendiarias, & viantibus opportunas, medias inter alias alpes vetuſtas, &c.* Ammian. Mar. 14.

Sed aduertendũ eſt, ex Marcellini deſcriptione colligi,

Cottij

Cottij Regnum in Gallia Narbonenſi fuiſſe, & in Cottiarum Alpium finibus vrbem Seguſionem extitiſſe, in qua, eodem Marcellino teſte, eius eſt ſepulchrum, & à qua Seguſiani populi, quorum, Strabonis opinione, Lugdunum Metropolis eſt, nomen acceperunt.

At Cottiarum Alpium fines à Diacono afferuntur Liguria, Mare Tyrrenum, & Gallia, mentione nulla facta de eo, quod eis adiacet ab Oriente: Verum nos latere nō debet, Liguriæ nomine non Ienuenſem ſolummodo agrum, vt vulgo fertur, contineri, ſed partem etiam Longobardiæ, quam ipſe ita deſcribit. *Secunda Prouincia Liguria eſt, &c. in qua Mediolanum eſt, & Ticinus, quæ alio nomine Papia appellatur; Hæc vſque ad Gallorum fines extenditur, &c.*

Paul. Diac. lib. 2. c. 15.

Cum igitur hæ Alpes in longitudine à Ianua vſque ad Varum, quod ſemper Italiæ confinium extitit, & in latitudine ſaltem à Tortuna vſq; ad mare peruenerint, magnam Pedemontis, & Ianuenſis agri partem complectebantur: ideoq; Antoninus *in Itinerario* illas ex ſeptendecim Italiæ Regionibus vnam recenſet, & Plinius aſſerit, duodecim in eis ciuitates fuiſſe, quarum vnam Taurinum extitiſſe Perigenius arbitratur: Iornandes verò in Geucio addit Volentiam, quę Aſtio proxima fuerat. Sed in quanam tantæ regionis ora Patrimonium illud fuerit ſitum, & quantum extiterit, meam fallit cognitionem. Illud certum eſt, Donationem eam, ſeu confirmationem anno à Chriſto nato circiter ſeptingenteſimo quarto prodijſſe.

Quo autem modo Alpes hæ de Pontificum dominio exciderint, inueſtigare non eſt meum. In perquirendis porrò rationibus, quibus Eccleſia ditiones reliquas acquiſiuit, temporum ordine ad amuſſim ſeruato, differerem, ni latiùs iudicarem de Vrbe Roma, quod Eccleſiaſtici

ſticiRegni caput, rem omnem primò expedire. Ea enim, cum ad hęc vſque tempora, ſub aliorum, quàm ſub Pontificis dominio fuiſſet, ad Eccleſiæ manus peruenit, non Principis alicuius donatione, aut ceſſione, vt Cottię Alpes; non hæreditate, vt de Ferraria, & de Patrimonio perhibetur; non emptione, vt Auinio: non iure belli, vt de Flaminia ope Pipini contigit; nõ ſacrorum armorum intentatione, vt Neapolitanum Regnum, ſed perenni Pontificum inhabitatione, magnaque exiſtimatione, & auctoritate, qua primas ibi tenebant. Ad hæc peſſimo Romanorum regimine accedente, & Conſtantinopolitano Imperio ob Cæſarum impietatem in perniciem corruente, quibus fiebat, vt nobiliſſima illa ciuitas Rectore indigeret. Quod quidem non repentè, ſed multorum annorum curriculo ceſſit. Indicabo itaq;, per quas in ſingula tempora viciſſitudines ab hoc illa ad illud Regimen fuerit multoties iactata; Ex quibus penitus innoteſcat ratio, qua tantæ Vrbis Eccleſia eſt potita. Egregium profecto facinus, quod non minùs Vrbi profuit, ob incolumitatem, & ſummi ſacerdotij in ea locatam ſedem, quàm ipſi Eccleſiæ ob regni dignitatem, & ſplendorem.

CAPVT XI.

De Iure, quo Pontifices Romanam Vrbem poſſident, aliquaſque alias ditiones, ciuitateſque Italiæ.

AD illa igitur, quæ *ſuperius* dixi, ea, quæ modò dicturus ſum, annectendo, ſciendum eſt, in Ioannis Pontificis 7. locum Sicinium ſuffectũ fuiſſe, qui ante omnia in id incubuit, vt Romanæ Vrbis mœnia reficerentur: ſed voti compos non euaſit: Vitam enim ille viginti vltra

H dies

dies non protraxit. Attamen & hoc tempore Iudices, quos Exarcha miſerat, Romæ reperiebātur. Sicinio ſucceſſit Conſtantinus, qui Iuſtiniani Imperatoris poſtulatu ſeſe Conſtantinopolim contulit. Tum Ioannes Rizocozus, Imperatoris nomine Exarcha, Romam adijt, Clerumq; Romanum, nouis imperatis oneribus, deprimere eſt conatus: ſed cum nō audiretur, Sacerdotes quatuor, qui Clero, Pontificis abſentia, præerant, neci dedit.

Imperator victus, & interfectus, à Philippico fuit, qui Imperium occupauit, Imaginesq; è templis aſportari impiè iuſſit; & Pontificem, hoc idem, vt faceret, admonuit: ſed cum Pontifex, vti ſchiſmate correptum, aqua, & igni interdixit. Etis Pontificum omnium primus Conſtantinopolitani Imperatoris præcepto ſeſe palàm obuiā ferre auſus eſt. Imperator paulò poſt cum morte vitam commutauit. Ei Anthemius, qui tres imperauit annos; Anthemio Theodoſius 3. qui vnū, Theodoſio Leo Iſaurus, ille acerrimus ſacratū imaginum hoſtis ſucceſſit, is cum ſe ab obſidione liberâſſet, qua tribus ipſis annis Saraceni Conſtantinopolim oppreſſerant, & magna pecuniarum inopia laboraret, nec eas aliundè, quam ex Italia cōflare ſperaret, quæ tamen & ipſa penitus erat exhauſta, ſibi in animum induxit, templa ornamētis expoliare: ſed eū, vt deſiſteret, admonuit Pontifex, ex Blondi opinione, Stephanus, ex Diaconi, & communi Gregorius 2. Año verò Domini DCCXXV. mādauit Imperator, vt Pontifex Cōſtantinopolim captiuus duceretur: ſi minus id agi poſſet, de medio tolleretur. Hoc eodem tempore in mandatis dedit Marino Spatario, qui tunc ab Exarcha miſſus Romano Ducatui præerat, vt vel ferro, vel veneno Pontifici vitā adimeret. Iam Dux ſibi tanti ſceleris Baſilium, Iordanem, Cartolarium, & Ioannem Lurnionem Subdiaconum, complices adſciuerat: ſed apoplexia percul-

ſus

ſus Conſtantinopolim eſt reuerſus. Quare Imperator de illius Conſilio Romam Paulum Patritium Exarcham miſit, qui coniuratorum manu Pontifici læthum inferret. Verùm, dùm ſceleſti Exarcam præſtolantur, coniuratio detegitur: Populus Romanus indignatus Iordanē, & Lurnionem obtruncat, Baſilium in Cœnobij clauſtra detrudit. Exarcha ſeſe Rauennæ continere cogitur: eodem tempore Spoletanus Dux, genere Longobardus, Pontifice inuito Anarniam occupauit: quibus tamen de rebus, nulla Leo cura ſuſcepta, totum animum ad Pontificis necem applicuit: Spatarium miſit, qui Exarcę præſtò eſſet, & vtrique imperitauit, vt ſi facultas Pontificem interimendi adimeretur, eum de Pontificatu deturbarent, aliumque eius loco ſufficerent. Quod vt executioni mandaretur, Exarca Spatario milites adiunxit, quibus Romæ Pontificem opprimeret, ſed Pontifici, numinis æterni gratia, vndè minimè ſpes elucebat, ſalutis via protinus eſt patefacta. Longobardi enim, quorum erat in votis, Italiam ab Imperatoribus abducere, vt res faciliùs è conſilio flueret confeſtim Romanis tutandi Pontificis cauſa in auxilium, milites, & arma obtulerunt, miſeruntque, quibus iter Exarchæ Romam intrandi obreptum, & Rauennam regredi neceſſum fuit.

Imperator, cum ſpes illum, & cōſilium fefelliſſet, humaniùs agere, Pontificiq; ſignificare, ſi gratiam Imperatoriam inire velit, Diuorum Imagines in Italia tota abroget, deleat, comburat, velut ipſe in Orientis prouincijs iā effecerat. At tantùm abfuit, vt huic opinioni Pontifex adhæreret, quin in vniuerſum Chriſtianum orbem litteras dedit, vt nemo tàm impijs mādatis pareret: & Romanis, & Italicis interdixit, ne Imperatori tamquam immaniter impio, tributa perſoluerēt. Cuius pœnæ, minarumq;

intentatione cum Leo ne latum quidem vnguem à ſententia recederet, Romam, Italiam, Nationesque Occiduas omnes Sacramento, quo eius imperio obedire tenebãtur, Pontifex exonerauit año Domini DCCLXXIX. licet Platina, his omnibus ad Gregorium tertium relatis, aſſerat, quod eum non Occidentali tantùm, ſed toto Imperio priuarit. In Martinianis Chronicis habetur, Leonem à Gregorio ſecundo aqua, & igni fuiſſe interdictum, à Gregorio tertio defectione concitata fuiſſe ordinarijs vectigalibus, tributis, & obedientia totius Italiæ orbatum.

Sed vtvt ſe res habet, certum eſt, hæc Pontificis decreta tanti fuiſſe ponderis, vt populus primò, militesque Rauennates, deinde Taruiſini palàm ab Imperatore, & ab Exarca defecerint, tùm capita cum Pontifice, & cum cæteris Italiæ gentibus conferentes, Romanum aliquẽ, aut Italicum ſaltem, Græci Imperij maieſtate abrogata, in Imperatorem eligi petierint.

Is animorum motus vſq; adeò intumuit, vt tùm primùm poſt Imperij inclinationem, Vrbes, & Oppida omnia, Exarcæ Inſignijs ſublatis, proprios ſibi magiſtratus, quos Duces appellabant, conſtituere cœperint. At Pontifex hanc Italorum cupiditatem, qua nouum Imperatorem eligere ſtudebant, repreſſit ſpe nempè ductus, Leonem aliquando ab illa flagitioſa deſipientia ceſſaturum. Ille verò tetrius in dies furebat: Italorum defectio magis ingraueſcebat; Pontificis, & Eccleſiæ auctoritas vehementiùs inualeſcebat. Marinus Spatarius, qui Romanæ ciuitatis Dux erat, & Adrianus eius filius ſibi Latij populos adſciſcere conati ſunt: qua re à Romanis percepta, vtrumq; interemerunt, ſibiq; in Ducem Petrum, virum inſignem, elegerunt. Rauennates pariter

pariter ijs,quę per Italiam gerebantur,cognitis,Paulum Exarcam neci dederunt.

Hoc tempore Luitprandus Longobardorum Rex, cum Romam, Rauennamque Imperatoris, & Exarcæ præſidio caſſas inſpiceret, Bononiam, Oppidaq; omnia Fauentinatis agri, Fauentiam, Forum liuij, Forlimpopolim, Ceſenam, & Oſimum occupauit. Interea Leo Imperator Patritium ſacri Palatij Eunuchum miſit, in ſpeciem, vt Exarcatum ſuſciperet; re vera autem, vt Pontificem & Romam perderet. At cum primùm Neapolim peruenit, detegitur ſcelus. Dum enim donis datis ſibi Longobardos amicitia, & fœdere copulare contendit, & ciues Romanos aliquos in Pontificis, & procerum perniciem litteris ſollicitat: per eoſdem hoc ipſos ad Pōtificem defertur, & euulgatur. Quare Pontifex Eunuchum, populo acclamāte, aqua, & igni interdicit, ſpemque illi omnem exercendi magiſtratum adimit. Eo igitur ventum erat, vt iam Romani nec Imperatoris animū demulcere, nec Longobardorum iniurias propulſare penitùs poſſent. Re in conſilium deducta Luitprandum precibus circumire ſtatutum eſt, pacemq; ab eo exorare: quam ipſis Rauennatibus eſt elargitus, nulla tamen de reſtituendis ablatis mētione facta. Interea Leo Conſtantinopoli, & in locis finitimis in ſacras Imagines ſæuire, Gregorius Romanæ Vrbis mœnia, & potiſſimùm ciuitatis veteris inſtaurare.

His iiſdem temporibus Traſimūdus Spoletanus Dux ab Rege Luitprando defecit, qui confeſtim inſtructis copijs in eum irruit, eiq; Ducatum, vicinaq; Oppida abripuit omnia. Traſimundus, qui paulò ante Romanis Gallicanum Oppidum, Anieni proximum, pretio accepto, reſtituerat, Romam confugit, ei publica fide per Stephanum Patritium Romæ Ducem, præſtita. Rex

Ducem fugitiuum inſequi, & ad necem depoſcere: Gregorius, & Stephanus publicam fidem ciuium incolumitati anteponere. Quare Luitprandus Romanis obſidione metum incutere eſt aggreſſus; tum infinitimos agros excurſione facta, & Oppidis nonnullis debellatis, Spoletum eſt reuerſus. At illũ Romani milite vndecunq; conſcripto, viribus, & opibus aucti indè abigere, & Traſimũdum Principatui reſtituere, optimùm conſilium ſunt rati, vt Longobardorũ vires diſſectione colliderentur. Adde quod Beneuentanus Dux Codiſcaleus ſuppetias in id eis ferebat. Sic itaq; copijs inter Stephanum Patritium, & Traſimundum diuiſis alter per Marſorum, alter per Sabinorum agros ad rem gerendam tetendit. Dux Romanus, qui per Marſos iter fecerat, Codiſcalchi ſtipatus militibus, gentem illam, & præterea Aquilanos, Valuianos, & Pognanos, Ducatui Spoletano ſubiectos antea populos, ſub Traſimundi ditionẽ redegit, Traſimundus illico cætera, quæ priùs tenebat, eſt potitus. Tum vtriq; exercitibus coniunctis in Luitprandum caſtra mouerũt, ſignisq; inter Fanum, & Forũ Sempronij collatis, ipſum profligârunt. His animo perculſus Luitprandus, cũ Zaccharia, qui Pontificatum ſuſceperat pacem, & amicitiã iniuit, fœdusq; in Traſimundum ſanxit, pactis inter eos conuentis, vt Rex Ameliam, Ortam, Palimartium, & Bleran, quæ Oppida Romanis ademerat, eis reſtitueret. Traſimundus harum rerum nuncio territus ſeſe Regis manſuetudini dedidit.

His peractis, Pontifex Anarniam ad Luitprandum ſe contulit, à quo non tantum quatuor illa Oppida obtinuit, ſed Sabinorum Patrimonium, quod per 30. annos Longobardi poſſederant, & Anarniam ipſam, & pręterea in Piceno Anconam, & Humanam, quæ nunc Vrbs funditus eſt deleta, & vltra hæc magnam penes Sutrium

vallem;

vallem: quorum cõceſſione per annos viginti inter Luitprandum, & Ducatum Romanum ſolemnis pax eſt inita. Hæc ex Blondo. Diaconus verò, qui tunc vitam agebat, donationem hanc nuſquam attingit. Aſſerit tantùm Cottiarum Alpium donationem à Luitprando fuiſſe confirmatam: nec pariter recenſet, Luitprandum certamine fuiſſe fuſum, at eius copias itineris tantùm aſperitate debilitatas. Chronica verò Martiniana de his ne verbum quidem. Platina autem, inquit, quod, poſteaquam Pontifex fruſtra per nuncios tentaſſet Luitprandum, & Traſimundum, qui armis Italiam vexabant, inter ſe conciliare, ſeſe ipſum cum toto Clero Anarniam ad Regem contulit, à quo honorificè ſuſceptus cum poſtero die concione inter ſacrum habita, commouit adeò, vt omnes ille pacis conditiones Pontificis in manu eſſe voluerit. Hac autem pace inita, Traſimundus, qui de Principatu deiectus fuerat, in gratiam cum Luitprando redijt, & Clerici nomen induit. Tunc Romanis Oppida, quæ Longobardi in Sabinis occupauerunt, & Anarniam, & Anconam, & quidquid per triginta integros annos, in Tuſcia ijdem detinuerant, fuerunt reſtituta. Conſtat igitur ex his, reliquos à Blondo plurimum diſcrepare, præcipuè verò, qua dicitur locorum reſtitutionem non Pontifici, non Eccleſiæ, ſed Romanis fuiſſe factam, ita vt hæc etiam donatio non poſſit non in dubiũ reuocari. Sed nos id negotij accuratiori ruminatori relinquemus, & de eo, quod paulò poſt certiùs, & maiùs per Pipini donationem ab Eccleſia fuit acquiſitum, agere properabimus.

Verùm quoniam tantùm dominij incrementum ſine maxima rerũ agitatione inſtitui non potuit, & ratio, qua id factum eſt; admirationem quandam in ſe habet, ſit hic mihi fas Romanæ hiſtoriæ filum intercidere, & aliquantò

quantò latiùs euagari, vt patefaciam, quanam iuris argumentatione Rex Galliæ de legitimo regno, Pontificis ope, fuerit excuſſus. Marouei, & Clodouei Magni, qui Gallorum Regnum primus Chriſto nomen dedit, penitus eiecto genere, & homine ad Regale ſolium elato, cui nullum ius in regno competebat. Qua ratione Pipinus iura Imperij, quæ ad ſe in magna Italiæ parte attinebant, in Eccleſiam Romanam tranſmiſerit: & quomodo Pontifex, qui Imperatorem, vt ſupremum Chriſtianorũ omnium Principem in ijs, quæ humani iuris ſunt, hactenus agnouerat, & coluerat. Poſtmodum ipſe Imperatoria auctoritate maior nouum inſtituerit Imperium. Ex his enim lapſu temporis factum eſt, vt cum Occidentis Imperatores ſecum reputarent, iura omnia veteris Imperij in ſe collata eſſe, Pontifices ex aduerſo perpenderent, non aliundè Imperium hoc nouum originem duxiſſe, quàm à mera Eccleſiæ auctoritate, ideoq; ius, & æquum poſtulare, vt illud ab ea penderet, eiq; ſubijceretur, plurima aſperrima bella inter ipſos fuerint exorta, & amnes Italiæ diutiſſimè ſanguine manârint.

Poſtquam Clotarius III. Gallorum Rex anno DCLXVIII. occidit, gloria occidit pariter Gallorum ab illo ſtemmate Regum. Qui enim conſequuti ſunt, regni cura Conteſtabilibus, ſiue Maiordomis relicta, ipſi ſeſe voluptatibus tradiderunt, ac ſi otium hoc iucunditatis cõmodo ſuffultum, amplioris Maieſtatis eſſet indicium. Ea propter Conteſtabilium auctoritas, quæ per ſe etiam ſemper à Regia fuerat prima, vehementer excreuit: ita vt qui gradum illum fuerant adepti, ſæpè Regiæ tuendæ maieſtatis ſpecie prætenſa ipſi ad arma venerint, & Chilperico ſecũdo, & Theodorico primo Regibus, quorum alter alteri ſucceſſit, res omnes pleno iure adminiſtrauerunt. Regnante Theodorico, Martinus Conteſtabilis in

Auſtraſia fato conceſſit, dignitate protinus in Pipinum Craſſum eius ex fratre germanum collocata. Pipinus ad Auſtraſiæ Regimen admotus exules adhortatus eſt, vt ab Rege ſeſe reſtitui peterent, quod cum ij non obtinuiſſent Duce Pipino, in Regem arma ſumpſerunt, eumq; penes Triſticium vicerunt. Theodoricus re male geſta, ſe penitus Pipini fidei tradidit: quo infortunio moderatio regni omnis ad Conteſtabilium manus peruenit, nec eis illa, ab Clodouei ſecundi, Childeberti, & Dagoberti Regum inertia adimi potuit, qui voluptatibus immerſi ſemel ſe tantùm in anno, Kalendis nempè Maij, populo ſpectandos dabant. Quare Pipinus ad Regnum aſpirare, pecunias congerere, magiſtratus amicis, quibus maximè fidebat, impartiri. Hoc conſilio ſeptem, & viginti annos vitam tranſegit, quo defuncto, Carolus Martellus ei nothus in paternos titulos ſucceſſit. Chilpericus ſecundus interea, & Theodoricus ſecundus, prioribus non abſimiles in Reges aſſumpti fuerunt. Tum verò plurima ſeſe obtulerunt, quibus Martello magnum ſuæ virtutis ſpecimen edere opus fuit; namque, vt alter Hercules, à nouerca magnæ exiſtimationis inter Gallicos proceres fœmina, odijs agitatus victoriarum plures arripuit occaſiones: quibus in tantam apud regnicolas magnanimitatis opinionem, & beneuolentiam conſcendit, vt, conuentu totius Regni accerſito, Martellus, qui fortunæ proſperitate, & opum vi elatus paternam induerat cupiditatem, ab omnibus, non vt antea Conteſtabilis, ſed Galliarum Princeps cõclamatus fuerit, Rege Theodorico adhuc viuente.

Hac tempeſtate Saraceni, qui cuncta eruptionibus compleuerant, tenebantq; Hiſpaniam, ab Eudone Duce Aquitannico pellecti, in Galliam inuaſerunt. In hos Carolus Martellus ſelectioribus è tota Gallia militibus,

Digitized by Google

& ipſius Eudonis, qui cum eo conuenerat, copijs ſtipatus, validiſſimam impreſſionem fecit, maximamque illorum ſtragem edidit, trecentum, & ſeptuaginta quinque millibus cæſis. Tam præclara Carolus potitus victoria, Friſiæ etiam populos Chriſtianę Religionis ritus acceptare compulit. Sed cum Mauri rurſum vna cum Viſigothis in Galliam irrupiſſent, Carolus, collectis à Luitprando Longobardorum Rege, & è Germania, Boariaque præcipuè auxilijs, eos iterum fudit, & è Gallijs eiecit.

Poſt hæc ad Regni ſolium Kilderico tertio euecto, Luitprandus Romanis infenſus, eo quod Traſimundo perduelli ad Spoletani Ducatus recuperationem auxiliati eſſent, vt diximus, Vrbem Romam obſidione cingere parabat: Quo metu ſtimulatus Pontifex Caroli Martelli quem implorauit, eiusque beneficio ſedatis armorum tumultibus, paçem Romanis à Luitprando impetrauit. Paulò poſt Carolus poſteaquam 26. annos Galliam rexiſſet, naturæ ſatisfecit anno DCCXLVI. Caroli Patris auctoritatem, Principatumque, Pipinus filius, quaſi per manus traditam, ſuſcepit, ſeſe in Eremum Carolomano recepto, & Griphone ab ipſo Pipino armis facilè ſuperato, & poſtmodùm interfecto, qui duo pariter Carolo Martello filij extiterant. Pipinus Mauros, qui tertiò Galliam adorti fuerant, expulit, & pietatem longè magis, quàm Pater colere viſus eſt. Quare potentia, & exiſtimatione vehementer auctus, non auctoritatem tantùm Regiam, quam iam exercebat, ſed ipſum Regium nomen ambire cœpit, Childerici imbecillitate, & ſegnitie animos illi inijciente, & opinione oborta, æquum non eſſe, maiorum virtutem, ſuamque ſemper aliorum gratia laborare. Sed tanti conſilij vaſtitatem in Gallia detegere metuebat, tum ob innatam obſequij

pro-

propenſionem Gallorum erga legitimum, verumque Regem, quem à Magno Clodoueo oriundum ſciebant, tùm ob fidelitatis Sacramentum, quo ſeſe iam ei obſtrinxerant. Quare in ſpem venit, ſibi ex facili à Pontifice opem allatum iri, vti beneficij memore, quod in eum pater, Roma à Longobardis vexata, contulit. Ad Zacchariam igitur Pontificem, qui Gregorio 3. ſucceſſerat, miſit Buceondum Epiſcopum Risciburgenſem, & Folradum Archicapellanum, quià Pontifice ſolutionem obtinuerunt, qua Galli à fidelitatis iuramento Regi præſtito liberabantur, vel vt Gallorum Chronica atteſtantur; Mandatum, quo Galliæ populis imperabatur, vt Pipinum, penes quem Regia erat auctoritas, in Regem ob eximiam eius virtutem, meritumq;, & ob inertiam Regis eorum temporum, cuncti agnoſcerent. Horum acceſſione facta ad Pipini opes; & ad fundamenta dominationis, quæ priùs iecerat, abſq; vlla regni turbatione fuit ipſe in Regem electus, & qui à natura Rex erat, in monaſticum clauſtrum fuit coniectus. Sic ordo Nepotum, & poſterorum Merouæi, & Clodouæi, qui Regum primus, vt eſt dictum, in Gallia Chriſtianus extitit, ſublatus, & extinctus fuit, quod anno à Chriſti natali die DCCLII, contigit.

At non multò poſt tulit occaſio, vt Pipinus Pontifici de collato munere gratiam referret Aiſtulphus, ſiue Agidulphus totam Italiam dominatu abſorbere cupidus arma ſumpſerat, nec ea, quamuis Stephanus ſecundus Pontifex, qui Zaccharię ſucceſſerat, multis precibus id efflagitaret, deponere meditabatur; niſi ſibi Vrbs Roma cenſum, vti dono, quotannis pendere polliceretur: iamque Rauenna potitus erat, Conſtantino Imperatore ita bellis in Bulgaros ſuſceptis præpedito, & ita peſtiferæ luis, quæ Græciam, Aſiamque deuaſtabat,

damnis afflicto, vt auxilium in Italiam nullum mittere valeret; quamuis pluries à Pontifice, & à ciuitatibus Imperio ſubiectis requireretur, & litteris tantùm Agidulphum ab armis auertere conaretur. Conſtantinus is, Leonis filius, & paternæ Impietatis hæres, non in ſacras tantùm imagines inuehebatur, ſed Diuos etiam coli, vetabat. Stephanus igitur Pontifex, quem Blondus Gregorium tertium appellat, deceptus nomine (eo quod & Gregorius ſuccedere Zachariæ in Pontificatu tentauit, fruſtra tamen) vt Romanæ rei opitularetur ad Pipinum confugit, qui Pontificis facto iam Galliæ regnum adeptus erat. Pipinus, quippe qui nouum regnum fortaſſe corroborandi cauſa, è Pontificis manu Regio Diademate coronari cupiebat, operam dedit, vt Pontifici in Galliam tranſeunti Agidulphus iter non obſtrueret. Quoniam verò nullum latebat, ſeſe ideò Stephanum in Galliam conferre, vt Regem illum, & vna cum Rege bellum in Italiam deduceret, Legati Imperatoris, & Agidulphus ipſe magis illum pollicitationibus ab inſtituto auocare nequidquam ſunt enixi; Pontifice fidem eorum verbis nullam habente. Cum ille itaq; iter arreptū perageret, Agidulphus, quem Gallorum aduentus ſollicitum habebat, effecit, vt Carolus Manus Monachus, Pipini frater, Archimandritæ ſui iuſſu, in Galliam tenderet, Regemque à nouo bello in Italia ſuſcipiendo dehortaretur: Pontifex Lutetiam aduectus Pipinum Regem in Diui Dionyſij æde coronauit, oleoque ſacro inunxit.

Tum, vt ei Regnum certioribus adminiculis firmaret, Childericum, qui de Rege in Monachum euaſerat, ſacris eſt initiatus, & ſub his anathemate damnauit quicunque noui aliquid aduerſus ea, quæ peracta erant, concitaſſet. Quæ cum omnia completa fuiſſent ſuper

Longo-

Longobardorum rebus agi cœptum eſt. Cum ergo Agidulphus reſtituere, quæ occuparat ſæpè id depoſcentibus negaſſet, Pipinus ipſe vnà cum Pontifice in Italiam profectus ingentes copias ſecum traiecit. Aduentanti Regi Conſtantinopolitani Imperatoris Legatus occurrit veriti, ne Rauennas Exarcatus, qui Longobardorum armis tenebatur, Pontifici, Romanisve traderetur. Cõpellato, Imperatoris nomine, Rege, ſic Pontificem tueatur, petit, ne iura Imperij lædantur: Demonſtrat, Rauennatem Exarcatum non ſecus ad Cęſarem pertinere, ac Pariſios ad ipſum Regem, commemorat tunc Cæſarem ob grauiſſimas Orientis turbas ſtudium adhibere recuperandis rebus, quæ ſibi erant ademptæ, non poſſe: Saracenos tercentum millibus hominum Conſtantinopolim obſediſſe; Turcas è Caſpijs conuallibus eruptos Imperatori moleſtiam exhibuiſſe. Tandem maximis ꝓpoſitis muneribus Pipinum aggreditur, vt Exarcatum Imperio, à quo tàm iniquè fuerat ereptum, ſuorum armorum vi reddat. At Agidulphus pacem à Pipino obtinere ſedulò conatus, eam his conditionibus impetrauit, vt Pontifici Rauennatem Præfecturam, & Ducatus Romani oppida, quæ ſubegerat, concederet. Verùm, vt Pipinus ab Italia receſſit: Agidulphus, recollectis copijs, Romam iterum obſidere, Pontifex iterum Pipini opem implorare: Ille Longobardi perfidia grauiter agitatus, ſibiq; verba data conqueſtus, arma denuò ſumpſit, & in Italiam reuerſus obſidione Romam liberauit. Græcus Legatus eadem, quę priùs, expoſcere, culpamque, vt notas Imperatoris purgaret, in peſtem, quæ paſſim adhuc graſſabatur, conferre.

Pipinus reſpondere, ſe bis in Italiam veniſſe non humanis præmijs allectum, ſed vt Eccleſiæ rebus inſeruiat, quò ſibi faciliùs peccata abluantur: Pontifici iuraſſe,

Longobardos à ſe deletum; Romam, Exarchatum, cætera loca ab eorum manibus auulſa Pontifici traditum iri. Quare Agidulphum Ticini obſidione occluſit. Armis tamen ſemotis paulò poſt in eaſdem pacis conditiones, quibus antè vſus erat, itum eſt, niſi quod obſides dati ſunt. Agidulphus propterea ante Galli ab Italia profe-ctionem Pontifici Exarchatum remittere incœpit, ſemper ei ad latus hærente Fulardo, ſeu Fulrado Abbate Sancti Dionyſij, eo nempè, per quem Gallia Stephano ſecundo fidelitatis Sacramento liberati fuerant. At nam Exarchatum ſolitis circumſcriptum finibus, ſed longè amplioribus remiſit; Pontifici enim non Flaminia tantum, ſed & Æmilia tota conceſſa fuit; ita vt, cum Agidulphus anno DCCLV. apoplexia perculſus mortem obijt, ciuitates, & oppida regionum illarum omnia in Eccleſiæ poteſtate eſſent, ſi ab vna tantùm Fauentia, & Ferraria diſceſſeris.

Agidulpho defuncto, Deſiderius in Tuſcia Longobardorum Dux, & equitum Magiſter ſeſe in Regnum intruſit. Quare Rachiſius, Agidulphi frater è Cœnobio, vbi Monachum agebat, erupit, & Longobardorum omnium, præterquam Tuſcorum, ſtipatus agminibus in Deſiderium irruit, & deterritum ad Pontificem confugere coegit, cui omnia ſe præſtiturum, quæ conditionibus inter Pipinum, & Agidulphum initis debebantur, & obſequium perpetuum Pontifici, Romaniſque exhibiturum, ſi ſe tuerentur, pollicitus eſt. Pontifex tantarum rerum ſpe delinitus, Deſiderij votis aurem præbuit, Anathematis tamen, ni ſtaret promiſſis, tenore propoſito.

Quare Rachiſio, & eius exercitui ſignificauit, Deſiderium à ſe fuiſſe Regem declaratum, ideò moleſtiam ei inferre deſiſterent, ſecus ſi facerent, eos à Romanis, &

Gallis

Gallis acriori bello, quàm ab ipſo Deſiderio oppreſſum iri. His permoti Longobardi pedem retulerunt, Deſiderius continuò Fauentiam, Ferrariamq; Pontifici tradidit. Tunc penitus Exarchatus nomen, quod in Italia centũ, octoginta duorum añorum ſpacio viguerat interijt; nec Imperatoribus ob eorum imbecillitatem, & anguſtias, quibus mox fuerunt circumuenti, ſpes nulla recuperãdi poſtmodum ſubijt. Eccleſia igitur horum Regum conflictu Flaminiam, & Æmiliam acquiſiuit. Modò videndũ eſt, quibus hæ regiones limitibus terminentur, quę ciuitates, oppidaq; complectantur. Flaminiam vndecimam Italiæ prouinciam Diaconus inter Appenninas Alpes, & Hadriaticum Mare iacere teſtatur; in eaq; Rauennam, & quinque ciuitates alias, Pentapolim Græco vocabulo dictas, contineri, Blondus aſſerit, ipſam etiam Rauennã Pentapoleos nomine, vna cũ Cæſarea, Claſſi, Foroliuij, & Foropulonij compræhendi: quarum duæ, Cæſarea, & Claſſis in prima portus fauce, quæ Oriẽtem ſpectat, Cęſarea in medio, quæ vergit ad Auſtrum, Rauenna in extremo receſſa, quæ tendit ad Occidentem. Idem, Æmiliam, decimam regionem, à Liguria inter Apenninum, & Padum Rauennam verſus extẽdi docet. In eaq; Placentiam, Parmam, Regium, Bononiam, Imolam collocat. Quare ex Diacono, duas has prouincias, vt certis finibus, Appennino, & Hadria includi patet. Et his adde Padum, & Rubiconem, in quorum ambitu Fauẽtia quoq; ſita eſt, quam Blondus prætermiſit, ſiue quod ab Imola parum abeſt, ſiue quod inter Pentapoleos ciuitates numeratur. De Mutina verò nulla ideò fit mentio, quod tunc temporis ſolo eſſet æquata. Mente autem aſſequi nequeo, quid ni Ferraria inter has recenſeatur: quæ poſtmodum à Mathilde teſtamento eſt Eccleſiæ legata. Si quis in eam incidat opinionem, nullum de ea

factum

factum fuiſſe verbum, eò quod illas tantùm nominare propoſitum fuerit, quæ viæ Æmiliæ, à qua forſitan nomen prouincia ſumpſit, adiacent: Nec hoc quidem verum eſt; non enim omnes, quæ Æmiliæ adiacent, enumerantur. Nam cum via hæc ab Rubicone ordiatur Ceſanam, Forum Populonium à Grimoaldo Longobardorum Rege anno DCC. diruptum, Bertinorum, Forumliuij, Caſtracanem, Fauentiam, Imolam, Bononiam, Mutinam, Regium, tũc fortè, vt Mutina, euerſum, Parmam, & Placentiam, interſecat. Nec vſque adeò compertum eſt, an omnes hæ fuerint Pontifici permiſſæ, vel eæ tantùm, quæ ſingillatim nominantur. Hod idem de Flamminia cenſeri poteſt, quæ ſindebat Etruriam, & ab Vrbe Ariminum vſq; perueniebat, vbi in Æmiliam incidebat, vt memorat Strabo, qui pariter inquit, Æmiliam viam Bononia ad Aquileiam vſque, non autem Placentiam perueniſſe. Aimonius, ſiue Annonius, & cum ipſo Conradus Abbas Vrſpergenſis inquit, Pipinum Eccleſiæ conceſſiſſe Rauennam, Pentapolim, & Pentapolis Exarcatus. Vt verò hîc etiam aliquid de Exarcatu attingam. Blondus narrat, quòd mortuo Narſete Eunuco, Longinus ab Iuſtino iuniore miſſus, nouum Dignitatis nomen in Italiam inuexit, & qui Rauennæ dicebatur Exarcatus, Exarcatum Italiæ appellauit, id eſt, ſupremum Italię Principatum. Cuius tamen ſplendor inſedit Rauennæ, in qua vicem Imperatoris, donec fuit à Longobardis eiectus, ſuſtinuit Exarca. Quoniam verò à principio Exarca toti Italiæ imperabat, deinde ciuitatibus tantum aliquibus, quę barbarorum impetum euaſerant, & Imperio adhuc ſupererant, dicendum non eſt, Pipinum Pontifici totam Italiam dono dediſſe, imò nec illam quidem partem totam, quæ Imperatori obtemperabat. Quod cum de ſe pateat, argumentis ad id non vtar. Verùm, vt

vt hoc

Digitized by Google

vt hoc ſit, nulli dubium eſt, Rauennam, & Pentapolim ab Antonio, & Abbate hîc in partes diſſectam, exarcatu compræhendi. Quare hinc etiam, quò ſe vſq; dominatus iſte permiſſus Eccleſiæ ſeſe proferat, non penitus liquet. Platina, quidquid ibi ſub Eccleſiæ ditionem redactum fuit, Exarcatus nomine complexus, his verbis eum definit. *Quicquid Padum, & Appenninum interiacet à Placentinis, vſq; ad ſtagna Venetorum, & quicquid intra Iſaurum flumen, Appenninum, & Hadriaticum continetur.* *Vita Steph. 2.*

Quatuor ergo ſunt limites, quibus terminatur ab ortu Iſaurus, ab occaſu Padus, à Meridie Appenninus, à Septentrione mare Hadriaticum. Quoniam verò Padus & Appenninus alter alterum non interſecat, vtroq; alterius occurſum euitante, additur in ea parte ager Placentinus, qui ſeſe inter hunc & illum exporrigit, vtroque delibato.

Hos verò inter fines ſitum eſt Vrbinum, Catholica, Sanctus Leo, Ariminum, Conca, Ceſena, Claſſis, Cæſarea, Rauenna, Forumpulonium, Fauentia, Imola, Forumliuij, Bononia, Ferraria, Mutina, Regium, Parma, & Placentia, quamuis de hac non ita conſtet. Sed Petrus, Bibliothecarius Lateranenſis, huic donationi fimbrias magis relaxando, addit vltra Pentapolim, & Æmiliam, etiam ſolum, ſiue paludem illam, quæ Mintio, & Pado intercedit, ab agri Vincentini, & Patauini finibus ad Venetorum, & Hadriæ littora. Quod tamen dictum non parum habet obſcuritatis, ſeu doli potiùs. Si quis enim locorum ſit ignarus in errorem facilè corruat, & ſolum, ſiue paludem hanc re vera exiſtere arbitretur: cum tamen in aperto ſit, Mincium Pado rectè illabi, duobus angulis pæne æqualibus conſtitutis, atq; ideò hos inter fluuios nullam terræ portionem iacere, cui Bibliothecarij deſcriptio competat. Addunt aliqui, referendam eſſe

K deſcri-

deſcriptionem ad eum angulum, qui Mantuano ſolo adiacet: ſed in eo nulla eſt palus, & nihil ibi penitùs ad Vincentinum agrum, qui prorſus inde, Veronenſi, & Patauino interiectis, ſecluditur. Non tamen hîc Bibliothecarius conſiſtit; verum in eam ingreditur orationem, Pipinum præter enarratas ditiones, Pontifici dono dediſſe Ariminum, Concam nunc fluctibus immerſam, Piſaurum, Fanum, Vrbinum, Colles Lucillij, Augubium, & Anarniam; Quæ ſi ſe ita haberent, Donatio vltra Iſaurum tenderet, & fines ſibi ab aliorum omnium ſententia conſtitutos longè tranſiliret, duobus à tergo relictis. Cum palam ſit, Piſaurum, Fanum, Colles Lucillij, Augubium, & Anarniam, qua Picenum vergit, trans Iſaurum, imò trans Appenninum exiſtere. Idem Bibliothecarius his adiungit Eſim, nunc Ieſim appellatam, quæ ciuitas iuxta Flumiſinum poſita non procùl abeſt ab Appennino: & præterea plura in Piceno loca complectitur. Recenſet denique municipia, ſiue Parochias Bobij circiter viginti in Bouum regione ſitas, quorum Darſina, Plauti patria, caput eſt. Addit præterea Montem Feltrium, cui oppida viginti, Caſtrum, Sancti Martini, & Mons Auus, quod nunc Auernia dicitur, & Mons Lucati erant annexa. Sed cum hæc omnia quatuor illorum limitum ambitu compræhendantur Iauri, Padi, Appennini, & Hadriæ, nō ſecus, ac Conca, Ariminum, & Vrbinas, ancipiti quiſquis hæc perlegit diſtineatur opinione neceſſe eſt, an Bibliothecarius ſenſerit, in Eccleſiæ poteſtatem deueniſſe omne id, quod quatuor ab his finibus ambitur, vel illud tantùm, quod ſingillatim nominatur.

At ſi donatio illud ſolummodò complexa eſt, quod ille ſingillatim recenſet, in grauem illi errorem inciderunt,

runt, qui eam finibus huiuſmodi circumſcripſerunt; ac ſi cuncta in Eccleſiæ poteſtatem concidiſſent; & multa tamen ab his ſemota finibus, quæ commemoranda erant, omiſerunt.

Ex eo difficultas augetur, quod multa oppidorum hos intra limites collocatorum nunquam in Eccleſiæ dominatu fuiſſe, conſtat. Patet enim, præteritis à donatione temporibus Placentiam in Regum Italiæ, quos paulò poſt Carolus Magnus conſtituit, poteſtate extitiſſe. Nec vſquam apparet, eam ſub Eccleſiæ ditionem, niſi Iulio ſecundo Pontifice, perueniſſe: at ſemper anteactis ſæculis ſe Regum primò, mox Imperatorum nutu ſubſtrauiſſe, interdum ſuo vſam iure, interdum à ſuorum ciuium aliquo, demùm à Mediolani Ducibus fuiſſe imperitatam. Quod ſi Iulius ſecundus Parmam, Placentiamque, vt Exarchatus membra, ad Eccleſiam ſpectaſſe, aſſeruit, Carolus quintus tamen, vt Imperij Feuda, ad Imperium eas aſſeuerauit attinere. Quare Petrus Aloyſius Farneſius à Paulo tertio Pontifice eius Patre in Placentiæ, & Parmæ Ducem creatus fruſtra tituli confirmationem à Carolo V. Imperatore ſæpius efflagitauit.

Mutina, Regiumque tempore Gallicæ illius donationis, ſolo erant æquatæ: à proprijs dein ciuibus inſtaurata ſibi ipſis ipſamet ſub Imperatoris tutela legem poſuerũt: donec MCCLXXXVIII. Obitus Eſtenſis ea ſuam in poteſtatem redegit. Anno verò MCCLXXXIX. vſque ad MDX. cum res Italiæ, ob cruentas Pontificum, & Imperatorum diſcordias, partibus Guelphis, & Gibellinis gliſcentibus, vehementer fluctuarent, duæ illæ ciuitates modò Pontifici, modò Cæſari, morem geſſerunt. Cum autem Iulius Secundus, qui Eccleſiæ iura omnium maximè proſequutus eſt,

Mutinam eodem anno 1510. Ferrarienſi bello cepiſſet, eam Maximiliano Imperatori, vt Cæſarei iuris Vrbem, reſtituit, qui poſtmodùm illam anno 1514. Leoni 10. quadraginta millibus Ducatis acceptis, pignori obſtrinxit. At Carolus V. cum in arbitrum à Clemente 7. & à Ferrarienſi Duce fuiſſet electus, anno 1531. Mutinam, Arretiumq; Duci adiudicauit: quas deindè perpetuò Ferrarienſes Duces poſſederunt, accepta à Cæſare earum Inueſtitura, ſed Alphonſo ſecundo defuncto, Clemens 8. Pontifex armorum terrore Ferrariam ſub Eccleſiæ dominatum redegit: nec tamen in Cæſarem Eſtenſem, qui Mutinæ, Regijq; dominatum Imperatorio beneficio, retinuerat, ob illos Ducatus vllam intentauit actionem. Romandiola, Carpium, Corretium vniuerſorum ſententia ad ſupremum Imperatoris dominium ſpectare, exiſtimatum fuit: licet Galeatius Romandiolæ Comes eam anno 1548. Henrico Galliarum Regi tradiderit. Carpiũ à Carolo V. anno 1530. c x. ducatorum millibus acceptis, iure perpetui Feudi Duci Ferrarienſi conceſſum fuit. De lacunis autem vltra Padum iacentibus, nullam reor ſupereſſe dubitationem, etſi Frater Leander in Italię deſcriptione affirmet, Atheſi Æmiliam terminari, eo nixus fundamento, quod antiqui Veneti trans amnem illum ſedes non haberent. Id enim adeò veritati aduerſatur, vt Plinius, Polybius, Ptolomęus, Strabo, vt minores omittam, vnanimes atteſtentur, non Acheſim, ſed Padum Venetorum fines fuiſſe. Hoc, inquam, in dubium vocari non poteſt; quandoquidem vel ipſe Iulius ſecundus ſuſcitator, vt ait Guicciardinus actionum etiam extinctarum Padum Eccleſiaſtici iuris terminum conſtituit. His addendum certum eſſe, tribus tantùm oſtijs Padum in Hadriam fluere, quæ Primarum, Volanum, & Gorum alluunt, nam quod à Figarolo ad Fornaces vergit, alluuio eſt,

ruio eſt, quæ anno 1550. erupit; vt idem Frater Leander pluribus allatis argumentis fidem facit.

Platina præter Exarchatum à ſe circumſcriptum, ad donationem adijcit ea, quæ Longobardi in Etruria, & in Sabinis occupauerant, aliud nihil. Non tamen ille proprijs nominibus, quæ fuerint loca, deſignat. Vt igitur, quæ dicta ſunt, colligam: ſi donatio eorum omnium fuit, quæ ſparſim auctores ſinguli aſſerunt, per eam Æmilia, & Flamminia tota; Longobardiæ verò, Piceni, Etruriæ, & Sabinorum pars conceſſa fuit; ſed ſi locorum eorum ſolummodò fuit, quos, nemine diſcrepante, vniuerſi attingunt; ea nil pręter Æmiliam, Flamminiamq; complectitur; nec has forſitan totas, habita pręſertim ratione ad ea, quæ ad Imperium ſpectabant.

Si autem priſcis Gallicanis Annalibus, quæ nobis ab anno 714. ad annum 885. rerum cognitionem ſuppeditant, inhærendum eſt. Pipini donatio Rauennam tantùm, & Pentapolim comprahendit; eaq; anno 756. facta eſt: ſed nos id peritioribus diſcutiendum dimittimus, aliud modò aggreſſi.

Iiſdem his temporibus Romæ Græci Imperatoris nomine præerat Paulus Effialta, ſeu Affialta, Conſtantini à cubiculis. At is, poſtquam Pipinus ad Eccleſiæ defenſionem arma ſumpſerat ſeſe Vrbis Romæ Ducem, aut Pręfectum appellare, prout moris fuerat, verebatur. Subnixus tamen procerum aliquorum, nouarum rerum ſtudioſorum opibus, & Deſiderij Longobardi Regis excitatus conſilio, adhuc aliquid Imperatoriæ dignitatis retinebat. Sed non multò poſt exercere palàm dominatum cœpit, Deſiderio, cui Regis Galli potentia ſuſpecta erat, eius partibus fauente.

Romam Deſiderius ſe contulit, vbi in omnium conſpectu corripuit Affialtam, & proceres, quod nimia fuiſ-

ſent vſi manſuetudine in ſumendo ſupplicio à ſeditioſis quibuſdam, qui, Stephano 4. vel ſecundum aliquos 3. Pontifice, ſchiſma concitaſſent. Quare, confirmato animo, Affialtas pœnas à nonnullis exegit. Atqui Hadrianus primus, elato animo vir, Pontificatu ſuſcepto, quoſcunque Affialtas carcere, vel exilio damnauerat, in libertatē aſſeruit. Et cum parùm Deſiderio fideret, à quo ad paciſcendum fœdus inuitabatur, mentem ad Gallica auxilia applicuit. Quoniam igitur Deſiderius hinc Italię totius regno inhiabat; inde ſimultates, & inteſtinas turbas in Gallia fouebat, Pontifex, vt ſe timore ſolueret Legatos ad Carolum Magnum Pipini filium, ſucceſſoremque ſubſidij petendi ergo, miſit. Quod vbi Deſiderius olfecit, Romam vſque adeò exagitare inſtituit, vt aliò Pontificis deterriti mentem à Carolo auerteret. Interea cum ad ipſum è Gallia rerum componendarum gratia legati eſſent miſſi, reſpondit ſæpiùs à Pontifice pacem petijſſe, nec impetraſſe. Tùm coram Gallis ipſis ad Hadrianum Legatos miſit, qui pacem ea conditione expoſcerent, vt Pontifex in poſterum à Rege ſtaret, Cui cum ſeſe rei Pontifex obſtringere recuſaret, Deſiderius, armis acceptis, Fauentiam, & Comachium occupauit, Rauennam non potuit, quippe à Leone Archiepiſcopo, & à Tribunis, per ipſos ciues creatis, qui Pontificis partes, potiusquàm iuſſa, ſequebantur, defenſam ab his Vrbinum, Senegalliam, Augubium cœpit. At cum Romam cogitaret, Pontifex illi Anathematis minas prætendit, quibus repreſſus Ticinum pedem retulit. His de cauſis Carolus in Italiam venit, Deſiderij copias fudit, ipſum Ticini obſedit.

Tunc labenæ nimirùm anno 773. Spoletani, & Reatini Ducatus proceres ſeſe Diuo Petro, Pontificique, dediderunt, declarato ſtatim per ipſum Pontificem, vt

recenſet

recenſet Bonfinius, Spoleti Duce Ildebrando Longobardo. Spoletanus autem Ducatus, tunc vt Blondo videtur omne id, quod Tyberi, & Appennino intercedit, complectebatur: Forconatibus etiam compræhenſis, qui nunc Regio Aquilana, & Pelignis, qui nunc Valueſij dicuntur; nec non Reneſij, & Fenentanis, qui in Brutijs, nec non Marſis, qui nunc in Sabinis exiſtunt. Hodie tamen Ducatus iſte limitibus anguſtioribus coarctatur, Tyberi nempè ab eius fonte ad Anienis oſtium, &, Appennino. Gentium harum exemplum protinus ſecutæ ſunt Ancona, Oſimum, Confinium, Ciuitates verò Longobardiæ omnes Ticinenſi excepta ſeſe in Caroli Regis ditionem tranſmiſerunt, qui, ex Pauli Æmilij hiſtoria, eo bello à Venetis viginti numero triremibus, in Padum, & in minorem Atheſim allapſis, adiutus fuit. Carolus, Verona capta, & Ticinenſis obſidionis cura Renardio auunculo mandata, ſeſe Romam contulit: Vbi magno à Pontifice honore exceptus non confirmauit tantùm Pipini Patris donationem, ſed auxit: Quamquam nec Eginardus, nec aliquis eorum temporum Scriptor in vita Caroli, nec Annales Gallicani, nec Reginus, nec Annonius, nec Gallorum auctor aliquis de hoc mentionem vllam faciat. Paulus Æmilius memoria prodidit, Carolum Pontifici Rauennatem Exarchatum decreuiſſe: ſubijcit Diaconus, additam Pontificatui fuiſſe Corſicam, & eam præterea Liguriæ partem, quæ ab antiquæ Liris ciuitatis ruinis ad Alpes porrigitur.

Bibliothecarius, vt in Blondo videre eſt, ſe hanc Caroli confirmationem inſpexiſſe aſſerit, & loca enumerat è Longobardorum manu vendicata, & Pontifici cōceſſa: quæ, inquit, eſſe Vrbem Lunam, iā deletam, quidquid Liguria ambit ad extremos vſque Italiæ fines, & in his

Corſicam:

Corſicam:addit Surianum,Montem Borbonem,& Bercertum,loca inter Parmam,& Lucam ad Pontremolem ſpectantia. Aggregat præterea Parmam, & Arettium, quæ ciuitates licet Exarchatui eſſent annexæ, in poteſtate tamen Longobardorum ſemper fuerant. De Mutina, quæ tunc dirupta erat, non meminit. Earum, quæ trans Padum exiſtunt, adijcit Mantuam, & Montemſilicis: dein ſubdit Exarchatum, Venetiam deniq; , & Hiſtriam, quarum vocabulo omne illud intelligit, quod Longobardi in Foroiulij, & Hiſtriæ Ducatu tenebant. Ad Romanæ ciuitatis iura poſtea reuerſus Spoletanum, & Beneuentanum Ducatus commemorat. Hæc Bibliothecarius.

Sed de ditionibus, quas Bibliothecarius præter Exarchatum recenſuit, aliquid perpendere forſitan non erit abs re. Vt autem à regione ordiar, quæ inter Lunam, & Alpes Liguriæ iacet, ſciendum eſt, non totam Liguriam, vt eam Diaconus deſcribit, Pontifici fuiſſe conceſſam. Patet enim tum Mediolanum in Eccleſiæ poteſtatem non perueniſſe, ſed Italicorum Regum à Carolo Magno conſtitutorum, Regalem fuiſſe ſedem.

Imò commemoratio Suriani, Montis Borboni, Bercerti, quod erat Monaſterium à Luitprando Longobardorum Rege in Montis Borboni iugo ædificatum, certò indicat Liguſticam donationem exigui fuiſſe momenti. Si quæ enim ampliora fuiſſent, cur ea, vt loca minima nominaret, omiſiſſet. Dum verò Parmam, & Arettium ſemper in Longoberdorum dominio perſtitiſſe affirmat, ab eo recedit, quod ſuperiùs ex Blondi, Pauli Æmilij, & Platinæ fide dictum eſt; Agidulphum ante obitum Pontifici integrum Exarchatum permiſiſſe præter Fauentiam, & Ferrariam, quas deindè Deſiderius eius ſucceſſor permiſit.

Quod

Quod autem ad Venetiæ nomen attinet;ſi hoc vocabulo oram omnem, quæ à Timauo ad Abduam tendit, ſignificari putat;monſtri ſimile eſt,cumMontiſſilicis oppiduli in Patauino agro meminiſſe,Patauium verò,Vincentiam, Veronam, totq; alias in ea prouincia nobiliſſimas vrbes tacitum præteriſſe: Quamuis procul omni dubio Verona earum vna fuit, quas Carolus Magnus obtinuit, Et in Italorum Regum dominatu eſſe voluit: de qua ſæpè Hiſtorici tanquàm Regibus ſubiecta, mentionem faciunt.

Porrò ſi Venetiæ nomine territorium Taruiſinum,ac Forumiulij comprehēdit, hoc ſanè hiſtoriarum ſcriptoribus aduerſatur, Nam conſtat inter omnes, Forumiulij ſub Ducis proprij Longobardi ditione perſtitiſſe:Cum, nationi illi probaturus Carolus ſtudium ſuum iuſſiſſet, Ducatum Spoleti Vinigetio, Ioriiulij Stangordo,Beneuenti Alligiſio,Deſiderij Regis genero reſtitui. Hiſtoria verò,vt Paulus Æmilius teſtatur in ipſius Caroli Magni dominatu permanſit. Vt autem aliqua de Foroiulienſi Ducatu dicam, Carolus Magnus poſt Brogardum conſtituit Foroiulij Ducem Henricum Gallum,quem Taruiſini interfecerunt.At Carolus in Italiam reuerſus pœnas à reis ſumpſit;& Cadobum ad Ducatum extulit, cui ſucceſſit Balduus; atq; ita Ducum ſerie nunquam intermiſſa Ducatus ad Berengarium peruenit:quo in Regem electo, eius deinde in locum alij Berengarij ſuffecti fuerunt. Nec tenebras offundat, quod regionem illam Patriarchæ poſſederint.Eis enim illa ab ſecundo, & tertio Ottone Imp. & demùm à Conrado vna cum Hiſtriæ Marchionatu, conceſſa fuit. Exiſtimandum itaque non videtur,Forum-Iulium, Hiſtriamq; ab Eccleſia Romana Carolo Magno acceptam eſſe referendam. Idem de Spoletano, Beneuentanoq; Ducatu dici poteſt, tum ob

ea, quæ hactenus allata ſunt, tum quia Arachiſius Dux Beneuentanus in Hadriani Pontificis obitu Campaniæ vrbes vexauit, deſtititque ab armis non Apoſtolicæ ſedis reuerentia, ſed Caroli Magni præcepto, qui pacem inter ipſum, & Pontificem firmauit.

Paulò poſt cum ab Italiæ populis, Græco Imperio ſubiectis, Conſtantini ſexti iuſſu, Hildeprandus Spoleti, & Grimoaldus Beneuenti Dux bello vexarentur, ipſimet ſuis è ceruicibus abſque vllo Pontificis interuentu, conſiliové inuaſionem egregiè propulſarunt.

Adde, quod in Diuiſionibus Imperij, inter Irenem, & Carolum Magnum factis, conſpicuè liquet, Ducem Beneuentanum neutri ſubiectum extitiſſe: vt & in alia Italiæ regione Venetis contigit. Inſuper, cum Carolus Magnus Italicis Longobardis nouum bellum intuliſſet, pacem Grimoaldo Beneuentano Duci, qui, cunctis exciſis, vnus Longobardorum in Italia reliquus erat, hac conditione conceſſit, vt ſingulis annis quinque Coronatorum millia, quæ dein ad ſeptem Ludouicus auxit, ſibi penderet.

Ad hæc Leo Marticanus Bibliothecarius ſcribit, anno 891. à Chriſto nato, anno verò 330. à primo Beneuenti Duce, Sintaſiticum Patritium, Imperatoris Conſtantinopolitani Ducem, Beneuentana Vrbe potitum eſſe, quam totius eo temporis ſpacio Duces, Principesque Longobardi tenuerant. Sintaſitico ſucceſſor in Beneuenti regimine tres annos cum menſibus octo Georgius Patritius durauit, qui ab Guidone Marchione fuit eiectus. Is vrbem duobus annis, Rachelchius duobus obtinuit: Dein in Aterolfij Comitis Capuani manus, qui partes Conſtantinopolitani Cæſaris ſe-

tis ſequebatur, relapſa eſt. Eiusque ſucceſſores, qui Occidentis Imperatoribus morem gerebant, illam tamdiù tenuerunt, donec fuit ab Henrico ſecundo Leoni Pontifici conceſſa.

Spoleti verò Dux Cudo, ſeu Guido fuit, qui vnà cum Berengario primo, altero alteri aduerſante, Rex Italiæ fuit creatus, & ei Lambertus filius in regno ſucceſſit, Lamberto filius Lotharius, titulo primum Ducis à Spoletanis, deinde Regis ab eiſdem, & ab Etruſcis acclamatus. Rationem propterea non video, quare Ducatus hi Romanæ Eccleſiæ à Carolo Magno conceſſi dicantur.

Sed nec de Liguria quidem res ita conſtat, cum in comperto ſit, Ademarum à Carolo Magno Ianuæ Comitem ideò fuiſſe creatum, vt piratarum incurſiones compeſceret, cum quibus dum totis claſſibus acerrimè conflixiſſet, in pugna victor occubuit.

Neminem fallit, in Italiæ Deſcriptione à Leandro Monaco facta ſingulari ſtudio, & eximia rerum peruestigatione, patere, Forum-Iulium poſt quatuor, & decem Longobardicæ, duos Gallicæ ſtirpis Duces, ibi nomine ſingillatim expreſſos, ad Imperatores recidiſſe: Taruiſium, Longobardorum potentia eliſa, etiam ad Imperatorum, & Italicorum Regum ditionem perueniſſe: Ianuam, Deſiderio in captiuitatem adducto, ad Pipini Italici Regis manum deuolutam fuiſſe, deindè Bernardi filij, & poſtmodùm Imperatorum, qui Carolo Magno ſucceſsère, deuolutam fuiſſe. Luca verò ab eodem Bibliothecario inter Etruriæ ciuitates Imperio ſubiectas recenſetur.

Quod ad Corſicam attinet, ait in Ianuenſi Hiſtoriæ Linterianus, eam, Carolo Magno Imperatore electo, Saracenorum dominio fuiſſe obſtrictam, qui nauali certamine fuere ab Ademaro proſtrati, & inſula hoſtibus erepta, & Ianuenſium ditioni adiecta, quam tamen ipſis centum abindè annis Piſani ademerunt anno nimirùm à Chriſti natali die 1050. Non eo tamen inficias, eum ſubijcere, quod Pontifex Ianuenſibus in inſulæ dimidio ditionem eo iure, quo potiebatur Eccleſia, confirmauit, & quod alterum dimidium à priuatis hominibus nomine publico fuit emptum: ſed nullum facti tempus edocet.

Scribit prætera Mianoldus, Bonifacium octauum anno 1295. Iacobo Terraconenſi Regi Sardiniam, Corſicamq; feudali iure conceſſiſſe, & Infeudationis exemplum etiamnum in Bibliotheca Vaticana inueniri, ibiq; literas eiuſdē Regis, & Alphonſi filij ad Ioannem XXII. & Petri Nepotis ad Benedictum XII. exaratas cuſtodiri, in quibus Reges hi pro Corſicæ, & Sardiniæ Regnis Eccleſiæ Romanæ iuramentum fidelitatis præſtant. Inſuper inquit, Ioannis XII. extare litteras, in quibus Iacobo partem cenſus, pro duobus his Regnis debiti, remittit. E contra Exarchatus non huic, vel illi Principi, ſed Archiepiſcopi Rauennati, vt Blondus teſtatur, curæ conceſſus fuit.

Poſtquam igitur Hadrianus confirmationem hanc à Carolo tulit, eum, grati animi ſignificatione, Patritium creauit, qui gradus proximus erat ad Imperium, quod breui conſequutus erat. Rex itaq; hac dignitate decoratus ſeſe rurſus ad Papiæ obſidionem contulit, qua in Vrbe cum peſtis nimiùm graſſaretur, Deſiderius ſeſe Carolo dedere, ſex ab illo reditu menſibus, coactus fuit; quem illinc in Galliam captiuum hoſtes pertraxerunt: eamq;

paulò

paulò poſt Carolus,cum Mediolanum, Ticinumq; viris ex aula Regia conſpicuis crediḋiſſet,conſequutus eſt; Nemine Longobardorum Ducum è ditione amoto. Interea Agelgiſius Deſiderij filius ſeſe Conſtantinopolim recepit, & Imperatori ob oculos ſubiecit. Italiam, Romamque, Imperij columen, ſpecie libertatis, & Religionis ab eo ſubtrahi, & Gallorum nutu conformari. Tum rebus ſuis expoſtulauit auxilium, &, impetrata claſſe, Italiam verſus remeauit. At breui ſeſe rurſus, opere penitus intentato, Conſtantinopolim retulit.

His porrò temporibus Brogardus Foroiulij Dux defectione à Gallis facta, Longobardorum vires colligere cœpit: ſed Galli leuis armaturæ equites cõfeſtim in eum irruperunt, obtruncaruntque; quo ſublato, Carolus Foroiulij Ducatum Gallis deſtinauit, & primò Henricum, deinde Francum Duces inſtituit, huic etiam Styria, & Carinthia Ducatui additis.

Regnorum poſtmodùm, & prouinciarum inter filios diuiſione facta, Carolo Germania, Pipino Italia, Ludouico Aquitannia obuenit. Quare Pipinus Regni ſui ſedem Mediolani conſtituit: quæ Vrbs inter Italas præcipua eſt, & traiectui in Galliam, Germaniamque maximè commoda.

Defuncto Hadriano, Leo tertius ad Pontificatum fuit elatus, qui multa Præceſſoris acta ſuſtulit. Ideò affines, quique mortui partes ſequuti erant, coniuratorum manum in ipſum concitârunt, qua ille deterritus in Galliam profugit. At eum Carolus reuerti iuſſit, reuerſumque paulò poſt in Italiam inſequutus, vt controuerſias illas iudicaret, dirimeretque. Verùm cum calumniarum auctores non reperirentur, Imperatori Pontificis innocentiam, vt Abbas Vrſpergenſis tenet, publico iuramento expurgare viſum eſt. Quare Leo publico iureiurando

Digitized by Google

ſeſe à criminum inſimulatione vendicauit. Paulus tamen Æmilius, & alij aſſerunt, cum Carolus ſuper accuſatione ſententiam laturus iam eſſet, Prælatiores in Eccleſia Antiſtites Regi denuntiaſſe, deſiſtendum ei eſſe, cum vnus Deus Pontifici ſuperemineret iudex. Carolum his auditis libenter acquieuiſſe: Vltro Pontificem, iuramento præſtito, ſe ipſum iudicio liberaſſe: id anno Domini octingenteſimo, die decima tertia Nouembris eueniſſe. Dum ergo Carolus Romæ conſiſteret, ſacroque, precibus ad Deum effuſis, ipſa Chriſti natali die intereſſet, Pontifex ipſi hac de re nihil cogitanti in diuinorum precaminum elatione ante Petri aram editorum coronam in caput appoſuit, & Romanum Imperatorem declarauit. Id verò Blondus, & Bonfinius *Dec. 2. lib. 9.* populi conſilio, rogatuque factum affirmant. Sic vltrò, citròque collatis beneficijs Pontifex à Gallis prophani iuris ditiones, Pipini Progenies à Pontifice non regnum modò Galliæ, ſed Occidentis Imperium accepit; Conſtantinopolitano Imperio miſerrimè ſpoliato. Nec id iniuria, ſi mentem ad eorum Imperatorum impietatem aduertimus. Sed reuera, repentina Mahometanorum, & admiranda ſubito potentia eò loci Imperium illud depreſſerat, vt vix Orientalium prouinciarum, ne dum Occiduarum defenſioni par eſſet.

At illa memoranda Impeiij ſectio non minorem exiſtimationem, fructumque attulit ipſi Eccleſiæ quàm Gallis. Vt enim inſigne illud admirandi iuris argumentum prætercam, quod ineſſe Pontifici innotuit, Regna, & Imperia, cui ſibi liberet, adimendi, concedendique, ſi quis retrò temporum res æqua trutina perpenderit, facillimè dignoſcet, Imperatores, etſi faſſi fuerint, Pontificem Chriſtianæ Religionis eſſe caput, & vica-

tias Chriſti partes gerere, ideòque ſummos illi honores exhibuerint, ſupremum ſemper, & propè diuinum ſibi ius adſciſcere fuiſſe ſolitos, quo planè Pontificibus imperabant, & Pontificum electiones, alioquin ponderis nullius viſæ fuiſſent, Imperatoria auctoritate confirmabant: Pontifices non tantùm Imperatorum mandatis obtemperabant, ſed etiam conſtitutiones, & leges ſuper Religione ab ipſis conditas, vt in Codice videre eſt, accipiebant. Translato autem Imperio à Pontifice in Occidentem, & in Regem Galliæ collato, qui Regnum etiam Pontificiæ auctoritati acceptum referebat, res lõgè diuerſam induit faciem. Nam cum inſuper Pontifices rationem Imperaroris eligendi conſtituiſſent, & ſibi ius illum confirmandi, & coronandi retinuiſſent in dubium reuocare neutiquã poteſt, Imperium Occidentis à Pontificibus originem duxiſſe, ab eiſque promanaſſe. Ideò à Pontificatu pẽdere, & multo eſſe dignitate inferiùs. Imperatores quidem eam mordicus amplexi ſunt ſententiam, in ſe cum Imperio, ſupremam illam omnem veteris Imperij auctoritatem, ne puncto quidem diminutam, fuiſſe collocatam; vt ex eodem Carolo Magno perſpici potuit; ſed durũ in ſcopulum Chriſtianorum, quam plurimorum malo impegerant. Ex hoc enim turbarum illa, & bellorum cruenta tempeſtas excitata eſt: quæ Pontifices, & Cæſares acerbitate rabidos, & odio plusquam Vatiniano exulceratos, inter ſe commiſit, ex hoc illud eſt ortum incendium, quod Italiam totam diù miſerrimè abſumpſit.

Carolus Magnus à Pontifice creatus Imperator, & ab eodem tempore Pipinus eius filius vnctus in Regem Italiæ fuit. Quibus peractis, claues Confeſſionis Diui Petri, & Vrbis Romæ vexillum Pontifex ad Imperatorem miſit, rogauitque, vt ſuorum aliquem, cui

populus

populus Romanus iureiurando fidelitatem pollicere-tur, decerneret, quam ad rem Anghibertus Sancti Riarij Abbas ab Imperatore delegatus fuit.

Hinc ad res Italas componendas Carolus animum appulit. Et cum iam ob oculos illi verſaretur, Longobardos, qui per ducentos, & ſeptuaginta cum duobus annis in Italia domicilium tenuerant, nil iam à vetuſtioribus inquilinis, externa ſpecie, differre, & eis vltra Padum tantummodò diſcrimen aliquod à reliquis ineſſe, indulſit eis, vt in ea Italiæ regione nomen gentis conſeruarēt, appellarentque Longobardiam. Exarchatum verò, vt Græci Imperij fortaſſis memoriam penitus deleret, Romagnam nuncupauit. Quæ verò regiminis ratio tunc in vrbe Roma perſtiterit, nec penes Bibliothecarium, nec penes alios liquet. Vero tamen magis videtur ſimile, Pontificem Leonem ſeſe publicarum rerum moderationi non immiſcuiſſe. Quandoquidem idem Bibliothecarius de eo tantùm memoriæ prodit, quod templorum reſarciuerit deuaſtationes, Presbyterorum Inſtitutionibus operam dederit, & huiuſmodi alia, quæ Pietatis, & Religionis erant, curauit. Pipinus interea ita Regno Italiæ potiri cupidus, vt ſibi nemo negotium faceſſeret, armorum & fortunæ fauore, omnes Longobardorum Duces ſubegit. Cumque iam Græcos etiam prorſus ab Italia amandare animo volutaret; Irenes Legati, quæ vnà tunc Orientis prerat Imperio, Carolo, vxore viduo, coniugium Imperatricis obtulerunt, quò totum Imperium rurſus, & id ſub Gallorum ditione, coaleſceret. Qua oblatione induciæ factæ ſunt; ſed nihil ex ea ſtatutum fuit.

Scribit Abbas Vrſpergenſis matrimonium hoc fuiſſe ab ipſo Carolo quæſitum: voti autem non euaſiſſe compotem Eſij Patritij facto, fratris Nicephori, qui ſeſe tunc temporis

temporis in Imperium intruſit, &, pace cum Carolo firmata, diuiſionem rerum Italicarum perfecit, Qua transactione quidquid infra Neapolim, & Manfredoniam ſupero, & infero mari alluitur, Græco obtigit vnà cum Sicilia. Reliquum verò, quod ad Alpes vergit, Carolo eſt adiectum. Hæ tamen diuiſiones nec Venetorum, nec Beneuentani Ducis libertati quidquam derogârunt: quippe qui nullius Regno obnoxij conſtiterunt: cæteris prouincijs Imperio additis, vt cuique obuenerunt: Pipinus quidem paucis poſt annis Venetas Inſulas armis attentauit; ſed magno ſuorum damno, & dedecore. In pacis autem conditionibus ſecundo inter Carolum, & Michaelem Græcum Imperatorem, initæ, firmatæq;, licet ab auctoribus leuiſſimo brachio attingantur, exprimitur, Michaelem in Orientem, & in Conſtantinopolitanam, Carolum in Occidentem, & in Romanam Vrbem fuiſſe dominatum. Ex quo rectè coniectura conſequi licet, Occidentis Imperio inſtituto, Vrbem Romam ab Orientis Imperio ad Gallorum ditionem fuiſſe translatam; in eademq; permanſiſſe: donec Imperio Gallis erepto, ipſa primò ſeſe in libertatem vindicauit, deinde in Pontificum manus pedetentim eſt delapſa. Quæ cuncta ex ijs, quæ ſubijciam, patebunt. Legere eſt enim, quod Ludouico Caroli patris loco ad Imperium elato, Romani Proceres inſidijs Leonem Pontificem de medio tollere ſunt aggreſſi: Cumq; id ei patefactum foret, curarctque, vt tanto crimine imbuti pœnas luerent, Ludouicus Bernardum ex Pipini fratris nepotem, cui etiam in Regno Italiæ ſucceſſerat, Romam miſit, vt ibi caueret, ne turbæ, & diſſenſiones illæ peius quidquam parerent. Bernardus, etſi vt primùm Romam attigit, in grauem deciderit morbum, Vrbis tamen res Comitis Girandi opera compoſuit. Poſtea verò cum Bleræ Pontifex ægro-

 tarct,

taret, Romani furijs acti veſana rabie ſunt illa omnia ædificia demoliti, quæ ipſe inſtaurauerat, vel funditùs erexerat, tùm Romæ, tùm reliquis in ciuitatibus, oppidisque. Quos tumultus cum Bernardus epiſtola ſedare non poſſet, armis ſedauit, Vigentio Spoletano Duce cum exercitu ad eos miſſo. Harum turbarum de cauſa multi Romanorum partim in exilium eiecti, partim relegati fuerunt. Quare Stephanus Quartus, qui à Leone Pontificatum eſt adeptus, ſeſe in Galliam contulit, & ab Imperatore precibus contendit, vt Romanis flagitioſioribus expulſis patriam ſibi reſtituere non abnueret. Quod vtique impetrauit, eiusq; etiam itineris occaſione Aquisgrani Imperatorem ſacris eſt initiatus, & Corona inſigniuit.

Cum autem Bernardus fatis conceſſiſſet, Lotharius Ludouici Pij filius in Regem Italiæ eſt electus, cui Paſqualis Pontifex Stephani ſucceſſor in Diui Petri æde coronam impoſuit. At cum & Romani, & nonnulli Italorum primates ei morem gerere detrectarent, ſeſe Ticinum ad Patrem Imperatorem recepit, viribusque ad peruicaces comprimendos opus eſſe, edocuit. Quare militum ei turmas aliquas Imperator impertiuit, Romamque reuerti, & regno ſuo reluctantes iuſſit compeſcere. Sed antequam Ticino diſcederet, ad eum eſt perlatum, Theodorum primum Romanæ Eccleſiæ antiſtitem, Leonemque eius Generum in Lateranenſi ſede luminibus primo fuiſſe caſſos, mox capite plexos. Quod liquebat hoc ipſis ideò contigiſſe, quod fidem Lothario datam præſtitiſſent; Nec ab aliquorum opinione abhorrebat, Pontificem crimini conſilium, vel ſaltem aſſenſum accommodaſſe. Sed Pontifex culpam à ſe remouit; nec eum tanti ſceleris participem fuiſſe, credidit Imperator.

In

In Hiſtoricorum litteris habemus, Lotharium hunc Eugenij temporibus primo Romæ Magiſtratus conſtituiſſe, qui populo ius dicerent. Quare opinantur aliqui, ab Caroli aduſque Lotharij tempeſtatem Romanis libertate vti fuiſſe conceſſum, qua tamen nepharię abutebantur.

Ludouici verò epiſtolam extare, Blondus inquit, Paſqualis temporibus ſcriptam, qua, Ciuitates, & Oppida ad Romanam Eccleſiam ſpectantia ab eis ſecernit, quæ ad Imperium attinebant, aſſeritque ad Imperium in Hetruria pertinere Aretium, Vulterras, Cluſium, Florentiam, Piſtorium, Lucam, Piſas, Lunam. Porrò cum reliqua non enumeret, ſubijcit idem Blondus, videri ea Eccleſiaſtici iuris fuiſſe, à ſe autem ignorari, cur Peruſium, & Vrbem veterem, quæ Tuſcæ ſunt, ad Eccleſiam ſpectaſſe innuat. Inquit pariter, Todinum in Vmbria, & quidquid Rauennati agro adiacet, & vltra Appennini iuga Romagnam, & Rauennatem Exarchatum Eccleſiaſtico iuri adſcribi. Sed, vt Bibliothecarius teſtatur, Platina, cui Paulus Æmilius aſſentitar, ait, Imperatorem *in epiſtola* ad Paſqualem Pontificem data efferre, Aretium, Vulterras, Cluſium, Florentiam, Piſtorium, Lucam, Piſas, Peruſium, Vrbem veterem Hetruriæ ciuitates ad Imperium attinere, reliquas ad Eccleſiam. Hi verò à Blondo differunt, qui Lunam inter præcipuas Imperij ciuitates, ab illis omiſſam recenſuit: Peruſium autem, & Vrbem veterem, eſt Eccleſiaſticis impartitus, quas ij Imperio appoſuerant: cum tamen omnes eiuſdem epiſtolæ, quæ Ludouici Imperatoris eſt, fundamento innitantur. Imò, vti maior etiam conglobetur auctorum diuerſitas, Andreas Dandulus Venetiarum Dux hoc in

ſuorum Chronicorum monumentis poſteritati commendauit. *A queſto Paſquale Lodouico ſcriſſe, depo' l' hauer rinontiato alle dignità, mandando la l'ra pro Adriano, nella quale diſtingue le terre dell' Imperio da quelle della Chieſa oltre il Regno. Perciò che tutta la Toſcana appartiene alla Chieſa, eccetto que città, che Chiamano Imperiali. Città Caſtellana, Arezlo, Siena, Volterra, Chiuſi, Fiorenla, Piſtoria, Luca con li loro territorij. In detta epiſtola medeſmam te confeſſa la Romagna con Bologna eſſer della Giurisditione Eccleſiaſtica, Perugia, Todi, & Oruieto esclude dall Imperio con altre città nel circuito di Roma, che laſcia alla chieſa. u. Z. Ludouico, remiſſo nuncio dignitatibus, Adriano ad Paſchalem Pontificem litteras perferendas dedit, in quibus præter regnum ſtatus Imperiales ab Eccleſiaſticis ſecernit, Totam ſiquidem Etruriam iuri Romanorum Pontificum ſubijcit, ijs vrbibus, quas Imperiales vocant, exceptis, Caſtellana, Aretio, Sennis, Vulterris, Cluſio, Florentia, Piſtorio, Lucaque cum ſuis territorijs. Isdem litteris adhac profitetur, AEmiliam, Bononiamq; ad Imperium Eccleſiaſticum pertinere, Peruſiam verò Todinum, Vrbem veterem, aliasué ciuitates circa Romam ſitas adimens Imperatori Romanæ Eccleſiæ dominatui adſcribit.*

Andreas Dandolus Dux Venetiarum.

Hactenus Dandolus; nec horum auctorum quiſquam de Piceno, dum hæc ponderatur epiſtola, verbum facit. Quid ergo ſuper hoc tenendum ſit, cuiuſuis eſt in arbitrio ferre ſententiam.

Imperator hic anno 840. mortem oppetijt, cuius ab obitu poſt diutinum, & funeſtum bellum inter ſe filij ſic Imperium diuiſerunt. Carolus Caluus occiduas patris ditiones, quæ ab Oceano Britannico ad Moſam protendebantur, & in his Franciam accepit, Ludouicus Germaniam nactus eſt, & quidquid eis, & vltra Renum pater obtinebat. Lotharius ſibi cum Imperatorijs inſignijs Romam vindicauit, Italiam, Prouinciam, & illam Gal-

ſiæ particulam, quæ Scheldam inter, & Renum porrigitur, Lotharingiam etiamnum ab ipſo nominatam, licet id aliqui ab Lothario eius filio contigiſſe exiſtiment.

Per longos deindè temporis lapſus perpetuarum rixarum, bellorumq; turbinibus Caroli Magni Regnum ab ſucceſſoribus diſcerptum fuit; quare & Imperium ad Germanos transmiſſum. Ætas illa tamen adeò ſcriptoribus extitit orbata, vt quale tunc Romæ dominium viguerit, parùm conſtet. Hoc in comperto eſt, Leonem quartum, dum Saraceni in Italia graſſarentur, quindecimRomę turres extruxiſſe, quarum duę magnoperè ad rem faciebant: altera enim Ianiculo, altera Auentino incumbebat; & vtraq; nauibus acceſſum, ſi quæ Vrbem directuræ appuliſſent, impediebat. Ad Oſtiam dein Saracenis fuſis, idem Pontifex Vaticanum mœnibus ſepſit, ne repentinæ incurſionis direptioni, & deuaſtationi Diui Petri templum, vt antea viſum fuerat, pateret. Has autem vallorum extructiones à ſuo nomine Vrbem Leoninam appellauit, etſi Platina in Nicolai primi vita domum appellet, & Corſicorum genti, Saracenorum impetu è patria eiectæ tradidit incolendas, cuiq; agri portione, vndè victum deſumeret, collata. Quod quidem dominij ſpeciem habet, tunc à Pontificibus inchoati, ni tamen hoc opus omne à Romanis ipſis, Pontificis tantum concilio, exactum fuit. Hiſtoricorum enim monumentis liquet, à Ioanne Decimo, qui multo poſt ad Pontificatum conſcendit, dùm Saracenorum formidaret inuaſiones, Albericum Tuſciæ Marchionem fuiſſe vocatum in auxilium, qui cum exercitu Romam peruenit, vbi cunctis, qui arma geſtare poterant in militiam aſcitis vnà hoſtes è Romanorum finibus depulit, eoſdemq; ad Garilianum flumen profligauit. At cum Albericus Ro-

mam victor adijſſet, Romanorum proceres benemeritum Ducem inuidia eiecerunt, quam vt ille ingratis hominibus iniuriam reſponderet, Hungaros in Italiam acceſiuit. Qui quidem Romam non peruaſerunt, Hetruriam tamen omnem, cæde, rapinis, incendijs, abſumpſerunt. Cum igitur inter Romanos, & Albericum hæc odij, diſcordiarumq; ſemina eſſent iacta, Romani auxilió Alberti Spoletani Ducis elati, & ira non iniqua permori, Ortano obſeſſo, Albericum ceperunt, pœnaq; pro merito affecerunt. Ab his cum Saraceni, qui ſedem in monte Gargano poſuerant, Beneuento deleto Romam incendijs, adoriri pararent, Romani, eodem ſuaſore Ioanne, tumultuarias copias repente conſcripſerunt, & Guidonem Comitem ſibi in Ducem elegerunt, qui ab eorũ finibus barbarûm arma propulſauit. At ex his omnibus nő temerè videtur arguendum, penes Romanos ipſos regni ius tum temporis extitiſſe, licet in eis Pontificis auctoritas plurimùm poſſet. Platina tamen aſſerit, Pontificem ipſum, rebus his geſtis interfuiſſe. Et patet, Ioanne Decimo ſecundo, à nonnullis Iòanne Decimotertio appellato, Pontificatum obtinente, ad quem anno 926. fuit euectus, Romanis duos conſules, qui veteri more ſummã rerum adminiſtrarẽt, Prætorem ex Patritiorum genere, qui populo ius diceret, duodecim ex plebe viros, qui capiundis conſiliis partes Senatus ſuſtinerent ſibi creare in vſu fuiſſe.

Romanorum Imperijs obſequebantur, ab eisque magiſtratus ſingulis annis ſumebant ciuitates, oppidaque omnia Hetruſcis proxima, inter Vrbis veteris, & Todini fines iacentia, & quæcunque à Neapoli, à Beneuento, à Marſis, à Reathinis ad Vrbem Romam protendebantur. Quidquid vlterius ad mare tendebat partim Græcorum, partim Saracenorum Regnum venerabatur. Hîc

ambigunt

ambiguut Scriptores, cuinam Dominorum tunc temporis Picenum, & Spoleti Regio pareret. At nos ſuperiùs animaduertimus Anconam, & reliquas Piceni Vrbes, necnon Spoletanam ciuitatem, cum Deſiderius Pontifici Hadriano bellum mouiſſet, ſeſe Diuo Petro, & Pontifici ſubieciſſe. Licet poſtmodùm in Ducum manus reciderit Spolntum, & adhæc vſque tempora, quorum iam meminimus, permanſerit. Temporibus verò, quæ ab his effluxerunt, conſtat, binas has prouincias ad Eccleſiæ Dominium fuiſſe deuolutas. Beneuento itidem, vbi Carolus Magnus proprium inſtituerat Ducem, certum eſt diù Duces præfuiſſe, varijs nominibus ab Hiſtoricis, Sicardum Gregorij Quarti, Siginolfum, & Badduchium Sergij Secundi, Andalaſium Nicolai primi, Atemaſium, & Agtionem Stephani S. & X. aliquorum dicto Sexti Pontificatu, nuncupatos, Dein Stephani Sexti ex aliquorum ſententia 7. temporibus à Græcis fuiſſe acquiſitum tercentum, & triginta ab annis, ex quo Longobardi Duces illum poſſederant. Tertio tamen anno Guido Longobardus Spoleti Dux illud idem è Græcorum manibus ademit, ex Andolfi ſcriptis in Anataſij tertij vita, conſtititque ſub Ducum ditione, donec anno 983. ab Otthone Secundo Imperatore rapinis fuit, incendioq; deletum. Sed denuò extructum Eccleſiæ dominio fuit additum, cuius acquiſitionem ſic Platina refert. Henricus Secundus Imperator anno 1011. Bambergæ templum erexerat, & Diuo Gregorio dicauit, impetratque à Benedicto Octauo, vt Cathedralis titulum gereret, hac tamen conditione, vt ſingulis annis marcas argenteas centum, & equum candidum, phaleris conſtratum Eccleſiæ Romanæ in cenſum ſolueret. Milleſimo autem quinquageſimo primo Henri-

Henricus tertius hoc vt ſe onere liberaret, Leoni Nono Beneuentum dono dedit.

Leo Marſicus Bibliothecarius in Chronicis Caſinenſibus ſuper his ſcribit, Imperatorem non dono Pontifici dediſſe Beneuentum, ſed iure Vicariatus conceſſiſſe. At fortè ipſe hoc Vicariatus verbo permutationem rerum viciſſim factam complecti voluit. Ioannes Villanus tamen enarrat, in pacis ſtipulationibus inter Alexandrum tertium, & Federicum Enobardum 1177. Venetijs initæ conditionem contineri, qua confirmatur, quod quidquid Imperator Eccleſiaſtici iuris poſſideret, Eccleſiæ remittere, & reſtituere teneretur: quidquid Eccleſia in Neapolitano regno teneret, ad eam ipſam optimo iure in perpetuum ſpectaret: Beneuentum autem tunc temporis tenebat, & ideò nunc ad illam abſque controuerſia pertinet.

Sed Vrbis Romanæ denuò rem aggrediamur. Ioannes XIII. à Clero, & à populo Pontifex creatus Petro Vrbis Præfecto maximè fuit exoſus, cui cum non daretur odium hoc viribus proprijs exſaturare, ſuas in partes contra Pontificem Conſules, & Decuriones, qui rerum potiebantur, pellexit. At hi cum ſibi à populo metuerent, ei manus inferre non ſunt auſi. Quare Gotifredum Latij Comitem Romam vocârunt. Quò cum ille armatorum manu ſtipatus perueniſſet, Pontificem ad Lateranenſe palatium cepit, captiuumq; in Sancti Angeli caſtro occluſit, & inde in Latium perduci iuſſit. Sed nouem abinde menſibus, Gotifredo vita functo, Pontifex Romam eſt reuerſus. Quò etiam paulò poſt Otho primus cum exercitu conceſſit: vbi, cum Præfectum, Conſulesque manu captos apprehendiſſet, eos in Germaniam relegauit: Decuriones necari mandauit. At horum ſanguine cum cæterorum Romanorum accenſi impetus

non

Digitized by Google

non extinguerentur, Cyntius procerum præcipuus Benedictum quintum, aliquorum opinione ſexti nomine vocatum, captiuum trahi, & in caſtro Sancti Angeli vita orbari mandauit. Benedicto Donnus ſecundus ſucceſſit, qui primo anno obijt, nec mentio illius fit. Sed cum ſeſe Bonifacius ſeptimus, qui hos conſequutus eſt, Pontificatui, malis artibus obtruſiſſet, Romani eum, tamquam præpoſterè electum, Conſtantinopolim, decimoquarto ſui Pontificatus menſe, totius populi conclamatione relegârunt, in qua ille Ciuitate Sancti Petri theſaurum, quem aſportârat, venundedit; & Romam reuerſus, dum aliquos, partium auctores, pretio ſollicitat, occubuit. Huic Benedictus ſextus ſucceſſit, à nonnullis ſeptimus appellatus; Benedicto Ioannes Decimusquartus: Qui tertiodecimo menſe à Romanis proceribus in Sancti Angeli caſtrum captiuus abduci iuſſus fuit, vbi fato miſerrimè conceſſit. Ioanni decimoquinto Decimiquinti ſucceſſori non aliud obuiam venit infortunium, quàm odium inter ipſum, & Clerum perenne; quem ſtatim conſequutus eſt Ioannes Sextusdecimus. At huius Pontificatus initio, Creſcentius Nomentanus, ſibi Conſulis prærepto titulo, Vrbis ſuſcepit gubernaculum: cumque ipſi Pontifex honorem deſiderio minorem exhiberet, eius dignitatem, caputq; in id periculi coniecit, vt, omni abiecta Romanarum rerum ſpe, in Hetruriam confugerit: Poſtmodùm tamen Othonis tertij Imperatoris patrocinio Romam iterum ſeſe contulit. Nec Gregorius Quintus huius ſucceſſor leuioribus ſeditionum euripis fuit agitatus: nam his iactatus, & ipſe in Hetruriam, deinde in Germaniam ad Imperatoris ſinum ſe recepit: Tùm ergo rurſum Romani Creſcentium Conſulem renuntiârunt, maxima in ipſum authoritate collata. At ille Ioannem 17. Placentinum Epiſcopum ad Pontificatum

extulit. Quare Otho in Italiam cum exercitu profectus vtrumq; in Sancti Angeli caſtro, quod quàm diligentiſſimè muniuerant, obſedit; & victos tandem internecione deleuit.

Gregorium hunc nonnulli autumant fuiſſe, qui primo normam, rationemq; eligendorum Imperatorum, quæ viget hactenus, inſtituit; nonnulli Gregorium Decimum.

Ex his, & ex eis, quæ ſubijciam, inſana Romanorum peruicacia detegitur, quæ tandem eos Pontificum iugũ ſubire penitus adegit. Poſt enim alias variarum turbarũ viciſſitudines, & Pontificum electiones per fas, & nefas Romæ factas, Nicolaus Secundus anno milleſimo ſexageſimo Pontificatum eſt adeptus. Is cum Ruperto Guiſcardo Normando, qui nulla Eccleſiaſtici iuris habita ratione, Appuliam armis occupârat, pace inita, eum Calabriæ, & Appuliæ Ducem renuntiauit, & Anathematis Diris, quibus deuotus fuerat, expiauit. Rupertus verò cætera omnia, quæ iuris Eccleſiaſtici tenebat, præcipuèque Beneuentum Eccleſiæ reſtituit, obſtricta fide, opem illi, quotieſcunque res exegiſſet, ferendi: Quibus conditionibus vterq; Romanorum inſcij proceribus, qui Pontificem vexare magnopere ſtudebant, clanculum ſtipulatus eſt. Romam Nicolaus regreſſus in agros, & bona Præneſtinorum, Tuſculanorum, & Nomentanorum irruere; tum traiecto Tybride, Galeram, & Comitis Glerardi oppida Sutrium vſq; excutere, diripereq́;. His excurſionibus, & tantarum virium metu Romani edomiti ſeſe reuera Pontificum regno ſubſternere cœperunt.

Diſcordiæ dein gliſcere, & turbæ concitari inter Pontifices, & Cæſares, quæ primæ extiterunt, cum Gregorius Septimus anno 1076. Henricum Quartum aqua, & igni interdixit, eiq; ſubiectas prouincias iureiurando,

quo

quo ſuam Imperatori fidẽ obſtrinxerant, abſoluit. Nam, Religionis vinculo ſublato, ſe plurimi ab Imperatoris obſequio ſubduxerunt. Quare in Italiam Henricus contendit, & Cannuſſium, Aretini agri caſtrum, vbi tunc Pontifex commorabatur, petijt, atque ibi Imperatorijs vltrò ſpoliatus Inſignijs, aſpero indutus vellere, nudus pedibus ciues orarẽ, quò in Oppidum admitteretur, ijsque negantibus, repulſam æquo animo ferre; licet hyems, geluq; circum grauiter ſæuiret. Tres ille dies ſub Ioue frigido cunctatus tandem eſt in Oppidum admiſſus, & Anathemate liberatus, cum Pontifice in gratiam redijt, pollicitationibus perpetuæ obedientiæ antelatis. Verùm paulò poſt idem Pontifex diris eſt illum execratus, quas indignatus, Clementem tertium Antipapam creauit, eumq; Romam deduxit. Indè tamen, in Pontificis auxilium Rugerio Guiſcardo Appuliæ Duce adueniente, breui exceſſit. Romani enim, qui partes Henrici ſequebantur, Pontificemq; in Angeli caſtello obſidebant, fruſtra Ducis arma propulſare ſunt conati. Ille Vrbem ingreſſus maiori eam ex parte flammis, direptionibus, & demolitionibus penitus deuaſtauit, Gregoriumque in libertatem aſſeruit, qui vitam haud multò poſt cum morte commutauit.

Rebus hisgeſtis, magnopere apud omnes, præcipuè verò in Vrbe Roma, Pontificum auctoritas inualuit. Henricus Quintus nihilominus Paſqualem ſecundum in carcerem detruſit. Quare Pontifici neceſſe fuit, ea feudorum iura, ſiue Inueſtituras confirmare, quarum gratia tot rixæ antehac Pontificibus cum Imperatoribus interceſſerant. Sed idem Pontifex non multo elapſo tempore confirmationem illam eliſit, & reuocauit, vti à ſe, dum ergaſtulis detineretur, vi extortam.

Hîc ipſe Pasqualis Roma excedere coactus fuit, orta in ipſum hominum factioſorum turba, eò quod Petrum Petri Præfecti filium, puerum decem tantummodo natum annos, quem vnanimis populi acclamatio, Patre defuncto ad Præfecturæ munus erexerat, in ea dignitate noluerit confirmare.

Hoc in tumultu Ptolomeus, quem Pontifex in ſuorum ſubſidium cum milite ante miſerat, ab Eccleſiæ ditione Sarmentum, Nymphem, Tiberiam, & totam penè maritimam oram non ſine alijs quibuſdam oppidis auulſit: Quæ tamen cuncta paulò poſt Principum Normandorum auxilio Pontifex recuperauit. Gelaſius itidem Pasquali ſucceſſor à Frangipanibus fuit in ergaſtula adactus, & dein à populo exemptus. Quare Caliſtus, & Honorius ordine vterque ſecundus curſu pacifico, & quieto ſui Pontificatus tempora traduxêre. Innocentium verò pariter ſecundum, qui poſt horum obitum, eorum ſubiuit onus, Rugerius Guiſcardus captiuum detinuit, eumq; prætereà tantoperè Anacletus Antipapa exagitauit, vt in Galliam tranſijcere compulerit: Quo ex regno, precibus exoratus, Lotharius Imperator Henrici Quinti ſucceſſor, vt Pontifici opitularetur, bis in Italiam eſt progreſſus. At cum Romani rurſum animos ſumerēt, & dominandi ius ab ſe abdicari nequaquam ſe laturos profiterentur, denuo Pontificibus negotium faceſſere cœperunt, & per quinquaginta totos annos in id incubuerunt, vt ſibi regni gubernaculum è manibus non extorqueretur. Ipſi enim anno circiter 1143. ſenatores, qui Remp. & Reip. ſubiectos agros ditione ſua regerent, creârunt. Quorum conatus dum Pontifex compeſcere elaborat, in eosque Anathematum fulmina eiaculatur, extremum diem obit. Hæc Anathematis ſententia in Romanum populum emiſſa obſtitit, quin ipſe noui Pontificis

tificis electione intereſſet. Quod vſu poſtea ſuſceptum eſt, clero inſuper per temporum gradus ab Electione Pontificis amoto, totaq; in Cardinalium præſulum voto conſtituta. Poſt Innocentij fatum ſenatores per menſes quinos, quibus Cæleſtinus Secundus, & per vndenos, quibus Lucius etiam ſecundus vitam egit: munus ſibi traditum pacatè obiuerunt. Sed Eugenio tertio in Pontificem electo, Romani ſuos confirmari Senatores vel minis expoſcere cœperunt. Quare ille Roma noctu euaſit, & ſeſe in Sabiniam tranſtulit, vbi ſacris Pontificalibus illum Cardinales ſunt initiati. At Senatores ei conditionem obtulerunt, ſi redeat, ſe Magiſtratum depoſituros: Verùm, vt primùm eſt reuerſus, ſe dolo, conuentionis ſpecie, circumuentum offendit. Ideò in cymbam delapſus ſecundo Tybere aufugit, quem Romani armis, ſagittisque ſunt inſecuti. Quapropter indè in Galliam migrauit, & ex Gallia rurſus Romam, & Romæ confeſtim è vita.

Eugenio Anaſtaſius Quartus ſucceſſit, cuius in Pontificatu Romani Senatorum ſuorum, ſiue, vt aliqui tradunt, Conſulum electionem iterum ſunt aggreſſi: eodemq; inſtituto perrexerunt Hadriano Quarto Pontifice Eugenij ſucceſſore, qui tamen ſe, non niſi, ab vrbe, & ab agris Romanis elapſum conſecrari paſſus eſt.

Quibus in colluctationibus Romani Cardinalem, qui Pontificem adibat, vulnerârunt: Ideò Pontifex vrbem Romam Anathemate damnauit. Quod dum populo pergraue eſſet, Arnoldus in exilium eiectus, Conſules Magiſtratu deturbati fuerunt, ciuitatis adminiſtratione Pontifici collata. Sed paulò poſt ad Conſules reditum eſt. Blondus enim ſcribit, quod in Federici primi coronatione ab Hadriano celebrata Plebs, inſcijs Conſulibus, Germanos eſt adorta, ex quo ſanguinolentum euaſit cer-

ſit certamen, auctoritate Pontificis denique ſedatum. Porrò cum Federicus Roma exceſſiſſet, & ſe Pontifex aduerſus Gulielmum Siciliæ Regem contuliſſet, & pace demùm cum ipſo inita, Romam redijſſet, quam vrbem conſules priſtinæ libertati inhiantes ei reddiderant infenſam, Agaianum, ſiue Agranam ſe recepit, vbi breui tempore commoratus, naturæ debitum perſoluit.

Idcircò Alexander tertius ad Pontificatum fuit elatus, qua electione aliquibus inuiſa, Octauianus à trium Cardinaliũ ſuffragijs in Antipapam fuit electus; ex quo diſſidia inter Pontificem, & Imperatorem orta ſunt, quibus is in Galliam confugere coactus fuit. Qui dum ibi cõmoraretur, vſq; adeò eius deſiderium, amorq; animos Romanorum inuaſit, vt eum, precibus etiam effuſis, reuocârint. Tum monitu Ioannis Cardinalis, qui locum Pontificis tenebat, Conſules anno 1165. ex eis fuerunt creati, qui Pontificis partes ſequebantur. Vbi verò ille Romam eſt reuerſus, grauibus inter Romanos, & Tuſculanos rixis certatũ eſt. Cum.n. Tuſculani Romanis exoſi eſſent, præcipuè ob id, quod ij vectigalia ſibi, nec inique, impoſita ſoluere abnuerant, armis etiam ab ipſis Romanis petiti fuerunt, &, quamuis, reclamante Pontifice, in eorum bona irrutum eſt. Quare Tuſculani à Cçſaris copijs, quæ Nepæ, & Sutrij ſtationes habebant, implorata, & impetrata ope, Romanos tanta profligarunt cæde, vt diu populo, diuitijsq; exhauſta Roma mœruerit. Vltionis tamen cupiditate Romani non multò poſt cœperũt, & euerterunt Albam, & cum Tuſculum iam vehementer premerẽt, vrgerentq;, Raiuo Teuto, Oppidum illud, vbi ferè vti dominus imperabat, pactus eſt Ioanni Antipapæ, qui Romæ degebat. Sed Tuculani, eiecto Raiuone, Ioannem admittere noluerunt. Quare dedit Eccleſiæ Romanę dono ius illud omne, quod ſibi in ciuitatem Tuſcu-

Tuſculum comparatum fuerat. Ideò Tuſculani à Romanis magnopere vexati ſeſe Alexandri tertij patrocinio, imperijsq; crediderunt. Quocirca Romani ab eorum vexationibus deſtitère. Cum autem ſeſe Pontifex huc recepiſſet, petijt, vt ſibi liceret Romam contendere, pollicitationibus emiſſis coram conſulibus, populoq; , ſe rebus ijs tantum operam daturum, quæ ad Dei cultum in templis pertinerent. Quod cum obtinere non potuiſſet, in ſua, & Eccleſiæ oppida diuertit. Bella indè, pugnæque non leues inter ipſum, & Federicum conſequutæ ſunt, & pax denique Venetijs.

Quibus peractis rebus, Romani etiam Ananiam progreſſi, pacem ab eo poſtulârunt, quæ præ manibus haberi cœpta eſt, petente Pontifice, vt, Conſulum Magiſtratu penitus ab vrbe amoto, ſibi dominium integrum permitteretur. Cui cum Romani obluctarentur, nec id, quod per quinquaginta totos annos ſartum fuerat, conuellere in animum inducerent, Tuſculum ille ſe rurſum contulit, vt proximior ſuo deſiderium populo cōcitaret. Hìc tandem mutua conuentione actum eſt, vt Conſules à populo crearentur, non tamen ad Remp. admitterentur, niſi priùs ad Pōtificis pedes ſeſe iureiurādo obſtrinxiſſent, rem Pontificis, & Eccleſiæ ex fide geſturos.

Sic tertiò Romam eſt reuerſus, cui, poſtquàm animā egiſſet, Lucius tertius ſucceſſit, qui Cōſulibus magiſtratū adimi, enixus eſt. Sed Conſulum auctoritas, & gratia viguit adeò, vt ipſe Pontifex ab vrbe fuerit abactus, quiq; ipſi ſtudebāt, grauiter exagitati. Pontifex igitur exul Veronę occubuit, vbi fuit Vrbanus Terti9 elect9, q. Ferrarię deceſſit, cui ab Gregorio Octauo, q. Piſis diē obijt, ſucceſſū eſt. Sed cū ab his āno 1188. Clemens Tertius ad Pontificatus apicem cōſcendiſſet, cū Romanis in gratiā redijt, eorum Conſulibus (hos Onuphrius nunquā nō appellat

Sena-

Senatores) confirmatis; & priſca Præfecti dignitate penitus abolita: Eodem tamen, quo priùs, dominationis iure in ſua Romani oppida vtebantur. Cum enim Cæleſtinus Clementis Succeſſor Conſtantini Rugerij olim Siciliæ Regis filiam, clàm ex Monaſterio euocatam, in matrimonium Henrico Sexto Federici Enobardi filio collocaſſet, & vtriusque Sicilię Regnum dotem ei dixiſſet, integro tamen cenſu Eccleſię Romanę debito, cumque Imperator mutui officij gratia Pontifici Tuſculum reddidiſſet, Pontifex illud Romanis conceſſit, qui veteri acti indignatione ſolo penitùs æquarunt. Hac ſerie Romanę res per annos aliquot adusque Gregorium nonum effluxerunt, quo tempore, cum Pontifex Peruſij moras traheret, recentes tumultus Romani concitârũt, Incœperant Romani Conſulum magiſtratu paulò antea abrogato, Senatores ſingulis annis creare, interdum vnicum, interdum vnum, & alterum, qui de veteri more, Ciuitatis cuſtodiendæ curam ſuſcipiebant, & ius populo dicebant. Licet huic magiſtratui, cui Pontifex annuerat, Ærrario ſe immiſcere non liceret, nec oppidis, agrisvè Vrbi ſubiectis quidquam imperare. Tunc igitur, cum Clericorum multi ſibi ob aduentum Pontificis metuerent, populum in eum, ſenatoris auctoritate plurimùm ipſis inſeruiente, irritârunt; ſed exitium, quod retortis in vrbem aquis, & ingenti facta inundatione tùm Romanis Tyberis attulit, concitatos ſacerdotum animos compeſcuit. Paulò tamen poſt ad populum Senator retulit, vectigalia, & redditus omnes non vrbis tantùm, ſed finitimarum etiam regionum eſſe in Reip. bonis reponendos, quod & populus comprobauit. Decretum autem hoc cum Pontifici abrogandum videretur, nec id verbis obtinere poſſet, grandi argenti vi Germanos milites, qui in Italiam Hieroſolymarum recuperandarum gratia confluxerant,

fluxerant, conſcripſit, quorum ope victor euaſit. Et his planè temporibus è diſcordiarum ſemine, quæ inter Pontificem, & Federicum ſecundum gliſcebant, partes Guelforum, & Gibellinorum originem duxerunt.

Gregorij loco Celeſtinus Quartus ſubijt, qui poſt decimum octauum Pontificatus diem occubuit, & Celeſtini Innocentius pariter Quartus, qui, cum Federici Secundi ſuſpectas haberet inſidias, anno 1246. emigrauit in Galliam. Vnde Federicum, & Imperij, & regnorum iure priuauit. Interim Romæ duo ſingulis annis eligebantur Senatores, qui Regia ferè potiebantur auctoritate. Quare Pontifex poſt Federici interitum in Italiam reuerſus, cum à Romanis, vt nimiam illam Senatorum poteſtatem amouerent, aut modum ei, ipſo præſente, ſaltem imponerent, obtinere non potuiſſet, Romam appellere dedignatus eſt: Neapolimque ſe recepit, vbi fatis conceſſit. Pontifex hic primùm, Cardinales rubro redimiti galero, inſtituit.

Hæc Regiminis forma Quarti Alexandri Pontificatu continuauit, cui cum Vrbanus, & idem quartus ſucceſſit, non quidem Romani dominatum in Eccleſiæ oppidis exercebant, Pontificem tamen Romæ dominari non ſinebant, vt nec Alexandro conceſſum fuerat. Et cum ad illud vſque tempus Senatorem genere Romanum creaſſent, Aduenam, qui populo ius diceret, creare cœperunt. Exindè Vexilliferos, ſeu Banderarios ex qualibet Vrbis regione magno numero conſtituebant, quorum in Iudicijs vitæ, neciſq; ſententiæ verſabntur. Quem vſum cum Pontifex abolere ſtuderet, Ludouicum Sanctum Galliæ Regem precibus circumuenit, vt Carolum Andagauenſem fratrem in Italiam cum exercitu mitteret, pretio vtriuſq; Siciliæ Regno oblato, ſi tantùm Manfredus, qui Pontifici debacchabatur infen-

ſus, eijceretur. In Clementis ergo Quarti, qui ſucceſſit Vrbano, Pontificatu Carolus in Italiam tetendit, & Romæ perpetui Conſulatus dignitatem à Pontifice, ſeu potiùs, vt inquit Riccius, à populo, Feuda verò Regnorum ab alio, quàm à Pontifice accepit, quæ deindè Regna haud multò poſt armis ipſe acquiſiuit.

Idem Pontifex, ſiue magis, vt Paulus Æmilius aſſerit, Romanus populus Henricum à fratre Caſtellæ Rege eiectum in Senatorem perpetuum elegit. Cum enim Romani, ſe Pontificis dominatu non teneri profiterentur, Pontifex tunc temporis vt plurimùm Viterbi ſedem habebat. Si tamen Angelo Conſtantienſi accedimus, ipſemet Carolus Henricum hunc in Romanum Senatorem ſibi ſubſtituit, eodemq; deindè armis capto, Corradini fuſis copijs, Romam deuenit, vbi, Pontifice annuente, Senatoris munus obruit. Tum ſui loco Iacobum Cantelmum ſubſtituit. Cuius poteſtas Gregorij Decimi, Innocentij, & Hadriani Quinti Pontificatu Romæ adeò viguit, vt Hadrianus, quò illam retunderet, Rudolphum Cæſarem in Italiam vocârit, qui tamen aliorum bellorũ moleſtia implicitus, rem non eſt aggreſſus. Carolus itaq; vſq; ad Ioannis vigeſimi, quem aliqui vigeſimum primũ nominant, & ad Nicolai tertij Pontificatum titulo Senatoris effulſit.

Nicolaus hic, ab Vrſinorum ſanguine oriundus, Nepoti à Carolo in vxorem petijt vnam ex Salerniani Principis filiabus, qui Carolo natus erat, quique poſtmodùm Carolus Secundus fuit appellatus. At reſponſum tulit, æquum non eſſe, Regiam Sobolem dominatui, qui domini vita terminaretur, immiſceri. Quare Pontifex indignatione perculſus Carolo titulũ ademit, Vicariatus Imperialis in Hetruria, dignitatem ei per Clementem

Quartum

Quartum collatam, dum Alphonſo Caſtellæ Rege, & Comite Cantubrienſi de Imperio certantibus,& vacua Cæſare ſede, Clemens ſibi moderandi Imperij curas induerat, exemplo Leonis Tertij cum in Magnum Carolum rerum Occidentalium ſummam eſſet collocaturus. In ſpeciem autem attulit, quod Rudolpho, quandoquidem ad Imperatorium faſtigium is in Germania fuerat euectus, Vicarios Imperiales creare competebat: Pontificibus verò tantummodò, cum Maieſtas Imperatoria Principe vacaret. Tum Romam venit, & ſuorum opibus, ſtudijsq; ſubnixus cum ſe vltra id pellere animaduerteret, quod cęteri Pontifices ſoliti fuerant, eſſe rationi congruum, aſſeruit, Romanos conciues ſuos ab Eccleſiaſticis gubernari, vt Eccleſiaſtico Dominio, à quo deſciuerant, annecterentur. Ideò ſe ipſum renunciauit Senatorem, & ſæpè idem ipſe nullius adactus conſilio Senatoris munia exercuit, Edicto lato, ne quis in poſterum Regio Stemmate Senator foret, nevé dignitatem quis longiùs anno proferret.

Nicolao adempto, Gardinales Martinum Secundum (ex Onuphrij ſententia, qui Pontificum ſeriem quàm diligentiſſimè proſequitur) Viterbi Pontificem elegerunt. Hic confeſtim Carolo Senatorium nomen reſtituit: Romaniſque permiſit, vt duos ſibi è Patritiorum ordine Senatores quotannis crearent, qui Vrbem Apoſtolica auctoritate adminiſtrarent: cuius artis aſtu Dominium Eccleſiaſticum valido Romæ fundamento fulciuit, quamuis ipſe non ibi ſuum fixerit domicilium.

Rebus ſic ſe Romæ habentibus, Clemens Quintus natione Gallus, Burdegallenſis Epiſcopus Pontificiam ſedem anno 1305. in Galliam tranſtulit, annos octoginta permanſuram. At ne Romani denuò

tanta Pontificis abſentia in turbas irent, ab eoque deficerent, Romæ Cardinalem ſtatuit, qui Senatoris etiam perſonam ſuſtineret. Quamuis Ludouico Banato, quem Pontifex Auenione à Catholicorum cætu anathemate remouerat, Romæ Coronam Imperatoriam accepturo, Regimen Vrbis à duobus è nobilitate ſenatoribus, Imperatoris Vicarijs, teneretur. At Bauarus forſan eos antea creârat, cum & in cæteris Italiæ ciuitatibus Vicarios ex eis, qui ſuas ſequuti fuerant partes, deſtinaſſet, nullo temporis ſpacio è magiſtratu dimouendos. Alter eorum Stephanus Columna fuit, qui Pontificatu Ioannis Vigeſimi primi, ſecus vigeſimi ſecundi, Ludouicum Imperatorio Diademate coronauit. Sed Villanus tradit, Ludouico Romam adueniente, populum Romanum concitatis animis è Patritiorum manu dominatum extorſiſſe, ſibique Seiarram Columnam in Ducem creaſſe, qui Vrbem quinquaginta, & duorum virorum popularium, quatuor è quaque Ciuitatis Regione electis, conſilio gubernaret: Et ab eo, & à Butio de Proceſſo, & ab Vrſino de Vrſinis, qui ſenatores fuerant, & à Petro de Monte Nigro Equite Romano Bauarum Romæ anno 1327. 16. Ianuarij Coronam accepiſſe, & abeuntem Senatoris munus in Rainerium Vgutionis de Fagiola filiũ contuliſſe. Cum autem ſecundò reuerſus Romanis peſſimè in illum animatis diſcederet, Bertoldum Vrſinum, Cardinalis Legati Nepotem, & Stephanum Columnam Romam aduectos à populo Conſules fuiſſe renuntiatos.

Aſſumpto dein ad Pontificatum Benedicto X. quem aliqui XII. appellant, cum is præuideret, Ludouicum rurſus in Italiam iter inſtituere, vt quoſcumq; poſſet, amicos, vndiq; ſibi conciliaret, Romam Legatum miſit, qui Romanos in eam deduceret ſententiam, vt Senato-

riam dignitatem, quam Regis nomine exercuerant, Apoſtolicæ ſedi acceptam referrent, Stephanoq; munus illud in annos quinque prorogarent, ita tamen, vt ei ſingulis annis Eccleſiaſtici Imperij vigore Collega daretur. Hac itaq; forma bis Stephano Collega fuit datus. Resq; continuata eſt, donec Nicolaus Laurentij titulo Senatorio Vrbis dominium inuaſit. At cum is Auenione in Pontificis carceribus, quò illum Carolus quartus Romanorum Rex trahi mandarat, inueniretur, Franciſcus Petrarca ad populum Romanum epiſtolam ſcripſit his verbis. *Et ſi enim vobis Imperij titulum nitantur eripere, non dum tamen eò veſaniæ ſunt euecti, vt negare audeant, vos in veſtros ciues ius habere. Certè ſi quid homo iſte peccauit, Romæ peccauit, nec dubitari poteſt de commiſſis Romæ peccatis, veſtrum eſſe iudicium, niſi vobis fundatoribus legum, atq; cultoribus, & quæ iura gentibus tradidiſtis, eripitur ius commune.* Ex quibus, & ex eis, quæ ſequuntur, coniectari licet auctoritas, quam ad illud vſque tempus conſeruabant Romani. *Ep. 4. lib. Epiſt. ſine titulo.*

Anno poſtmodum 1349. Clemens Sextus Romanis efflagitantibus indulſit, vt Iubilæum quinquageſimo quoquo anno celebraretur; quam gratiam, vt ei rependerent, aſſensêre, vt Pontifex, qui Auenione adhuc cõmorabatur, quatuor Præſules Cardinales nominaret, qui Romanas res fatuo turbatas tumultu digererent, componerentq;. Quare hi magiſtratum Senatorium reuocârunt. Sed Franciſcus Baroncellus, ſenatoribus expulſis, Vrbe potitus eſt; Conſulis, & Tribuni titulo ſubnixus. Cuius vt poteſtas opprimeretur, Nicolaum Laurentij è carceribus exemptum, & ſenatoris gradu decoratum in eum Pontifex emiſit. Hoc autem popularibus armis neci dedito, Guido Iordanis fuit in annum, Pontificis auctoritate, Senator vnicus electus. Cum priſti-

nam Romani libertatem in omnibus, hoc vnum Pontifici præſtabant obſequium, quo ab illo Senatores, vt è Patritiorum genere eligebantur, confirmari petebant. Orta dein in populo diſſenſione, Innocentius Sextus eò Senatorem aduenam mittendi facultatem obtinuit: quod anno 1359. inchoatum eſt; per totum id temporis ſpacium Banderariorum, qui cuſtodiendæ Vrbis curam gerebant, vigente Magiſtratu. Exin, Platinæ aſſertione, Gregorio XI. Pontifice creato, Senator ſexto quoque menſe Romanis à Pontifice dabatur: qui ius populo dicebat: ſed poteſtas, & ratio Remp. adminiſtrandi, cauendique, ne quid Ciuitas detrimenti acciperet, tota penes Banderarios exiſtebat: quorum licet inſidias metueret, Romam tamen Vrbanus VI. aduectus eſt: At cunctorum ibi ciuium ope, qui, malè de ipſo ſentientes Clementem VII. Antipapam elegerant, deſtitutus, ex anguſtijs euaſit vnum, & triginta Cardinales creando. Vt enim plenam Banderarij conſpexerunt aulam, finem nouarum rerum impoſuerunt.

Vrbano ſucceſſit Bonifacius IX. qui cum Aſſiſij, anno 1400. præ foribus exiſtente, vitam ageret, per Legatos Romanorum rogatus eſt, vt ſe in Vrbem conferret, quò frequentior hominum multitudo, eo præſente, ad Iubilæi celebritatem conflueret.

Hoc etſi magnopere Pontifici in votis eſſet, compreſſo tamen ſimulatione deſiderio, reſpondit, lubenter abeſſe ab Roma; cum Senatores aduenas ab Vrbano acceptare recusârit: Ærarij Præfectis, quos ſua ſibi ſtultitia finxerant, Senatorum munus obeuntibus; Banderariorum libidini cuncta permittentibus; dominatu in Tyrannidem verſo; & re malo conſilio geſta continuante; quod ipſe ferre nequaquam poſſet. Hoc Romani permoti

moti

moti reſponſo Malateſtam Piſauri Dominum à Pontifice Senatorem acceperunt; Banderariorum abolere licentiam ſpoponderunt;ad Bonifacium, vt Romam migraret, Legatos iterum miſerunt. Quò poſteaquam ille deuenit, Sancti Angeli caſtrum firmiori præcinxit munime, & totius Vrbis imperium lenta vnus præhendit manu. Hac rerum, & caſuum viciſſitudine, Roma, quæ priùs Cæſarum Orientalium arbitrio ſubiecta fuerat, in Pontificum poteſtatem poſt longam annorum ſeriem eſt collapſa. Inanem tamen etiamnum Romani quandam libertatis,& dominij retinent imaginem: Nonnullos enim ſibi Magiſtratus creant, titulo aliquos Conſeruatorum, aliquos Caporionum, aliquos alio; eis veteri more præterea à Pontifice Senatore conceſſo: qui vnà cum Conſeruatoribus ad ius dicendum ſedet in Capitolio, vbi Populus adhuc ad conferenda conſilia ſolitus conuenire: argumenta regni in ſpeciem inuenta quo multitudinis imperitæ animi circumueniantur. Non enim Romani niſi in Romanos, & de leuioris momenti cauſis ferre queunt ſententias. Cætera ſibi,ſuisvê agglomerauit Pontifex.

Tam longæ narrationis ſucceſſus, vt mihi optimum viſum eſt in medium proferre, quo tantæ Vrbis acquiſitio clarior elucefcat, ita è re duxi iura eis non permiſcere, quæ ſibi Pontifex interim alibi peperit, ne plurimarum rerum narratio tenebricoſa diuerſitate offuſcaretur.

CAPVT

CAPVT XII.

De iure, quo Pontifices tenent Romanum agrum, Vrbesque, & Oppida adiacentia.

VRBIS dominio ad Eccleſiam translato, cuncta, in quibus ante dominabatur Vrbs, ad Eccleſiæ ditionem varijs temporibus peruenerint, remota æquè, ac proxima, quorum ſuperiùs mentione facta, ciuitates, & oppida eſſe diximus Hetruriæ finitima, quæ inter Vrbis veteris, & Todi fines iacent, & quidquid à Neapolitanorum limitibus ad Beneuentum, & à Marſorum; & Reathinorum ad Romam protenditur. Huic itaq; regno hæc adiacebant confinia, Neapolis, & Beneuentum, quà Sol oritur Marſorum, & Reathinorum regio ad Septentrionem, Todum, & Vrbs Vetus ad Lucis occaſum, Mare Mediterraneum, quà Dies medius incaleſcit. Quod orbis ſpacium partem Hetruriæ complectebatur, partem item Spoletani Ducatus, necnon Latium vniuerſum, ſiue potius id omne, quod vulgo Campagna di Roma nuncupatur. Cum Oriens flumine Gariliano, Boreæ flatus Appennino, Occidens Tybride, & Aniene, Mari Auſter potiorem Latij partem, quanta inter Garilianum, & Neapolim continetur, & oram aliquam Apprutij circumſcribat. Quanam hæc ratione viciſſim fuerint acquiſita, aliquid notitiæ ex eis, quæ in Alexandri Secūdi Pontificatu anno MLXVI. geſta ſunt, & æquè ex alijs elici poteſt. Cum Alexander igitur è Mantuano Concilio Romam reuertiſſet, vrbem quidem pacatam inuenit, ſed in Latio, quà Romani dominabātur, turbata omnia. Nam Riccardus Normandus, & Guglielmus filius, Capua expugnata, Beneuentum premebant. At cum Gotifredus, & Matilde vxor, exercitu ſtipati in auxilium Pontificis

Pontificis aduentarent, Normandi, quæcunque Eccleſiæ eripuerāt,remiſſis,pedem retulerunt.In Anathematis inſuper promulgatione, quod Gregorius VII. in Rupertum,& cæteros Normandos ob nouam irruptionem in Eccleſiæ terras ab eis factam,contorſit,hæc habentur verba, *Præterea vero gratiam S. Petri, & ingreſſum Eccleſiæ his interdicimus,quouſq; pœnituerint, ſatisfecerintq;,ſiue Normani ſint, ſiue Itali, vel cuiusuis nationis, qui aliqua ex parte læſerint,aliquove incommodo affecerint Marchiam Firmanam in Picentibus,Ducatum Spoletinum,Campaniam in Nernicis, Agrum Sabinum,Tiburtinum,Prænestinum,Tuſculanum, Abbanum, & quidquid in Volſcis, & Hetruscis ad mare vergit; His addo Monaſterium S. Benedicti, & quidquid in Caſſinato agro poſitum eſt,nec Beneuentum in Sannitibus excipio, &c.* *Plat. Greg. VII.*

Capta à Ruggerio Normando Appuliæ Duce, Capua, ſeſe ei omnis maritima ora ad Anienem, & Veletrum vſque,Romanorum viribus,quæ tunc effractę langueſcebant, deſperatis, confeſtim dedidit. Ex hoc arrepta occaſione, dum Pasqualis ſecundus in Appulia degeret. Ptolomæus Pontificis dux ab eo deſciuit, & cum Petro Columna, copijs coniunctis, Ananiam. Tibur, Prępeſte,Tuſculanum,&Sabiniam ab Eccleſię,& Pontificis obſequio auocauit.Sed cum Pontifex Romam rediſſet, recuperauit omnia.

Eugenius tertius, cum è Gallia anno 1152. in Italiam emigrauit,Vrbem Terracinam,Siſiam,Norbam,Fumoni oppidum, & Latij loca è tyrannorum manibus exemit.

Otho Quartus Imperator, eò quòd Montem Flasconem,& Radicofanem, Hetruriæ municipia,& aliqua alia è bonis Eccleſiæ diuulſerat, Dirarum execratione ab Innocentio Tertio deuotus eſt.

Federicus Secundus ab eodem Innocentio, Corona

Imperatoria accepta, ei Todi Comitatum dono dedit, ſeu potius præreptum reſtituit. Hac ratione cum regiones, & agri in Italia multi ad Vrbis Romanę dominatum pertinerent, Pontifices modò horum, modò illorum locorum, prout tempora, & res tulerunt, potiti ſunt; & ea nunc eodem iure tenent, quo Romam ipſam. Nō tamen hîc ſilebo, eundem hunc Bonifacium, cū ipſe Roma potitus eſſet, & Iubilæi, frequentia loculos ſuppeditante opulentiſſimus euaſiſſet, acri ingenio virum operam nauâſſe, iactis non ex facili interituris, fundamentis, vt qui ſibi ſucceſſuri eſſent, non in Vrbe Roma tantùm, ſed in toto Chriſtiano orbe dominatū adipiſcerentur. Legem enim tulit, vt quicunq; Eccleſiaſticum munus obtineret, vnius añi fructus in Pontificis Ærarium conferret: Quā Conſtitutionem, nulla interiecta exceptione, Regna omnia admiſerunt, ſi ab Anglia diſceſſeris, quæ tantumodò Epiſcopatus hoc onere grauari conſenſit. In ea tamē ſententia verſantur aliqui, nō Bonifacium, ſed Ioannem vigeſimum primum ab aliquibus vigeſimum ſecundum appellatum huius conſtitutionis extitiſſe auctorem, qui annos ſeptuaginta Bonifacium anteceſſit, & Ærarium pecunia refertum magis, quàm aliorum quiſquam reliquit; vt hæc planè de ipſo Ioannes Villanus efferat.

Io. Vill. Hiſt. lib. 11. cap. 20. *Nota, che dopò la ſua morte ſi trouò nel teſoro della Chieſa in Auignone in moneta di oro contata il valore, & computo di 18. millioni di fiorini di oro, & di più: & in vaſſellamenti, Croci, corone, mitre, & altri Gioielli con pietre pretioſe la ſtima di largo di valuta di 7. millioni di fiorini d'oro, che ogni millione, è mille migliaia di fiorini d' oro di valuta: Et noi ne potiamo far fede piena, & teſtimonianza vera, che il noſtro fratello carnale huomo degno di fede, che allhora era in corte mercatante di papa, che da Theſorieri, & da altri, che furono deputati a contare, & a peſare il detto theſoro, gli fu detto, & auerato, & in ſomma recato per*

to per farne relatione al Collegio de Cardinali per mettere in Inuentario, & coſi il trouarono. Il detto theſoro fù ragunato per la maggior parte per lo Papa Giouanni per ſua Induſtria, & ſagacità. Che in ſino l' anno 1319. preſe la riſeruatione di tutti i beneficij collegiati di Chriſtianità, & tutti li voleua dar egli, dicendo, che il faceua per leuar le Simonie: & di queſto egli traſſe, & raguno inſieme queſto teſoro. Et oltre à cio la detta reſeruatione quaſi mai non confermò elettione di niuno Prelato; ma promoueua vn Veſcouo in vn' Arciueſcouato, & al Veſcuato del promoſſo promoueua vn minor Veſcouo, & allhora auenina bene ſouente, che vna vacatione di vn Veſcouato grande, ò Arciueſcouato, ò Patriarcato faceua ſei, & più promotioni, & il ſimile di altri Beneficij: onde molte, & grandi prouiſioni di moneta tornauano alla Camera del Papa videlicet. Illud animaduerſione dignum, Pontifice è viuis ſublato, Auinione ærarium Eccleſiaſticum auctum ingenti pecunia, cuius ſumma, ſubductis rationibus, deciês, & octiês centena millia florenûm aureorum ampliùs colligebat. Inſuper vaſa, cruces, coronas, mitras, gemmas, aliaque pretioſa ſuppellectilia reperta, quæ ſeptiês deciês corumdem florenorum, ac pluris æſtimabantur. Atqui milliês mille ſunt deciês centena millia florenorum aureorum. Hoc autem mihi exploratiſſimum eſſe facile potuit, Nam ærario præfecti, atque alij accerſiti, per quos pecunia illa numeraretur, examinareturque ponderibus, fratri meo, viro alioquin ſpectatæ fidei, ibi tum fortè mercaturam exercenti hoc ipſum firmiſſimè aſſeuerarunt. Ea re ad Cardinalium Collegium delata, vt in apophaſin bona illa relata deſcriberentur, nihil me alienum à veritate dixiſſe, compertum eſt. Corroga: it tantam numorum copiã præcipuè Ioannis Pontificis mira induſtria, mentisque agitatio atque ſolertia. Etenim iam inde ab anno 1319. vbicunque Religio Chriſtiana colitur, omnia ſacerdotia, Collegiata, vt vocant, ſibi reſeruata ipſe tantum conferens eo obtentu, vt ſacrorum nundinatones tollerentur, hunc theſaurum ingentem congeſſerat.

rat. Hoc nimirùm reſeruationis commento nullum fere Antiſtitem dignitatis gradui confirmabat; ſed Epiſcopum ad Archiepiſcopatum prouehebat, & ad prouecti Epiſcopatum, minorem Epiſcopum efferebat, Quo factum fuit, vt ſede aliqua Epiſcopali, aut Archiepiſcopali, aut Patriarchali Antiſtite orbata, ſepe ſex, & interdum plures eligerentur, Eundem morem, inſtitutumque quoad alia minora ſacerdotia deinceps ſequutus innumerabilem pecuniam in Eccleſiaſtico ærario coaceruauit.

Polydorus Virgilius autem de huiuſmodi exactionibus ob collationem munerum Eccleſiaſticorum fieri ſolitis verba faciens eas ad tempus vetuſtius refert, & ſic inquit, *Cæterum nullum inuentum maiores Ro. Pontifici cumulauit opes, quam annatarum, quas vocant, vſus, qui omnino multo antiquior eſt, quum recentiores quidam ſcriptores ſuſpicantur, & annatas more ſuo appellãt primos fructus vnius anni ſacerdotij vacantis, aut dimidiam eorum partem. Sane hoc vectigal iam pridem, cum Romanus Pontifex non habuerit tot poſſeſſiones, quot nunc habet, & eum oportuerit pro dignitate, pro officio multos, magnosq. facere ſumptus, paulatim impoſitum fuit ſacerdotijs vacantibus, quæ ille conferret. De qua quidem re, vt graui ſæpe reclamatum fuiſſe teſtatur Henricus Hoſtienſis, qui cum Alexandro IIII. Ponti. vixit, ſic vt Franciſcus Zabarella tradat, poſthac in Concilio Viennenſi, quod Clemens V. indixit, qui factus eſt Pontifex anno ſalutis humanæ 1405. agitatum fuiſſe, vt, eo depoſito annatarum onere, vigeſima pars vectigalium ſacerdotalium penderetur Romano Pontifici, &c.*

De inuent. rerum lib. 8. cap. 2.

CAPVT

CAPVT XIII.

De Iure, & actione, quam Pontifices habent in Regna Neapolis, & Siciliæ.

IAM ad alias Eccleſiaſtici iuris ditiones tranſeuntibus nobis primo loco, vt ſunt prima tempore Neapolis, & Siciliæ Regna ob oculos verſantur, quorum dominium Pontifex, ob Conſtantinopolitani Imperatoris, ad quem ſpectabant, peruicatiam, ſibi arrogauit, quaque ratione id factum ſit, Ioannes Villanus enarrat hoc ordine.

Lo Rè Erracio ſucceſſo nel Regno di Lombardia, e di Puglia con il frenllo Teolofe fu crudele nimico di S. Chieſa, & fece congiura con Leone Imperatore di Conſtantinopoli, & con Conſtantio ſuo figliolo altreſi Imperatore, & à ſua richieſta paſſarono à Roma, & preſonla, & rubaronla, ardendo quaſi tutte le Chieſe, & Santi Luochi, & portarono in Conſtantinopoli le ricchezle di Roma, & tutte le imagini delle Chieſe di Roma per diſpetto del Papa, della Chieſa, & de fede li Chriſtiani, & tutte le arſono, & diſſiparono. Per la qual coſa Papa Stefano Secundo li ſcommunicò, & tolse per emenda del misfatto all' Imperiali il Regno di Puglia, & di Sicilia, & ſtabili per Decreto, che ſempre foſſe di Santa Chieſa Romana, id eſt, Erracus Longobardiæ, & Apuliæ regnum adeptus, faterq. Theolophe Romanæ Eccleſiæ inimici, infenſique, coniuratione facta, Leoni Imperatori Conſtantinopolitano, eiusq. filio Conſtantio vehementer authores fuerunt, vt Romam cum exercitu inuaderent. Qua vrbe capta, ac direpta, templa fere omnia, locaq. auguſta, & ſancta incendio abſumunt, Ciuium opibus Conſtantinopolim euectis, aſportatisque, &, vt Pontifici, Eccleſiis, Chriſtianisq. omnibus inſignis fieret iniuria, cunctis Romanorum templorum imaginibus contractis ignem ſubijciunt. Tantæ rei fœditate commotus Stephanus Se- Io. Vill. lib. 2. cap. 11.

P 3 *cundus*

cundus in illos Apoſtolicæ poteſtatis gladium intorſit, & à fidelium communione præcidit, regnumq́ Apuliæ, & Siciliæ ob patratum ſcelus Imperatoribus ademptum, ereptumq́, Eccleſiæ perpetuo adiudicauit.

Hîc autem primò eſt animaduertendum, quem Villanus Eraccum appellat, à cæteris ſcriptoribus Rachim, ſeu Rachiſium, & Theoloſem eundem eſſe, qui Aiſtulfus, quem ipſe Villanus Ariſtolfum nominat, & inquit, eum latinè dici Theolophem. Stephanus autem Secundus à pluribus Stephanus Tertius nuncupatur. Stephanus enim Secundus, qui huic anteceſſit quarto ſui Pontificatus die, è gradu, & vita emigrauit.

Dein animo percurrendum eſt, Stephanum Pontificem, Leonem Imperatorem, Rachiſium, & Aiſtulphum Longobardorum Reges, non omnes eodem tempore extitiſſe. Leo namq; anno 743. diem obijt, Rachiſius ad Regium peruaſit culmen 744. & graui Zachariæ Pontificis oratione perculſus anno 749. in Monaſticam ſe ſolitudinem abdidit, relicto in Regni ſplendore Aiſtulpho fratre, qui vitam inter ipſa venandi ſtudia anno 757. cum morte commutauit, Stephano Secundo, ſeu Tertio ad Pontificatum poſtero anno prouecto.

Præterea, ſi Villanum accipis, ſcriptorum nemo paginarum ſuarum monumentis commẽdauit, Leonem Imperatorem, ſeu Conſtantinum in Italiam aduerſus Pontificem ſe contuliſſe, vel Romam à Rege Rachiſio, vel ab Aiſtulpho fuiſſe direptã: Etſi Græcorum Zonaras, Longobardorum Paulus Diaconus, eorum temporũ ſcriptores, alijq; nonnulli, Pontificum res accurato ſtylo perpetuitati crediderint. Seiunctum tamen non eſt à vero ſacras Imagines flagitioſis inſuſſurationibus fuiſſe ab Leone Iſauro flammis deuorandas traditas, ſtudioſèq; ſuaſum Gregorio Secundo, vt facinori tanto cõſenſum præberet:

beret: Qui rem, & Imperatorem execratus, aqua, & igni Leonem interdixit; interdixit ei pariter vectigalia, reliquosq; Romæ, & totius Italiæ cenſus; & ſubiectas ei prouincias fidelitatis Sacramẽto liberauit, nulla tamen mẽtione facta, regna illa in Eccleſiam transijcienda.

Aiſtulphus quidem in Gregorij Tertij Pontificatu Romam obſedit, ſed nec eam expoliauit, nec cœpit, Pipino in Pontificis auxilium, vt ſuperiùs attigimus, aduocato. Quare Villani fides mihi vehementer in his videtur fluctuare. Ad reliqua ergo, quę ſuper his ab alijs afferuntur, progredi lubeat.

Dominantibus itaq; Græcis in Orientales Italiæ oras, Saracenis in Siciliam, in quam irruperant Gulielmus Fortebraccius vnus ex duodecim Tancredis Ducis Hormandiæ filijs, tunc inter Italos agens, cum Capuano, & Salernitano Principe fœdus ſanxit, in idemque Malochum Appulię, Calabriæq; Conſtantinopolitanorum Cæſarum loco, præſidem attraxit, pactis initis, vt, Saracenis expulſis, quidquid acquireretur inter eos portionibus æquis diuideretur. Nec mora, in Siciliam itum, Saraceni tota fermè Inſula eiecti. At Græcus, nuntio Conditionibus remiſſo, totum illud ſibi, Imperatorique ſuo Regnum adſcripſit; detinuitq;. Quare Gulielmus in Italiam reuerſus, vt primùm tulit occaſio, in Græcos inuaſit, eisq; circiter annum 1040. magnam Appuliæ partem ademit. Gulielmo Draco frater ſucceſſit, qui Marte ſecundo cum Græcis bella geſſit: Draconi ſubijt Onfridus, Onfrido Gutifridus quartus frater: Hoc tempore Giſulphus & ipſe Normandus, Salerni Princeps Beneuento potitus eſt; cuius Vrbis recuperandæ gratiâ cum ſeſe Leo Nonus illuc contuliſſet, in hoſtium manus incidit, à quibus tamen non tantùm libertate donatus, ſed & humanitus, officioſèq; exceptus fuit.

Pontifi-

Pontificatu in Victorem ſecundum collato, Rupertus Guiſcardus, & ipſe Tancredis in Saracenos, qui Capuam oppugnabant, arma mouit, & ab ciuitate illa hoſtes propulſauit. Tùm Stephani X. à nonnullis IX. nuncupati Pontificatu, Græcos ferè omnes è Calabria eiecit. Moriturus autem Gutifridus teſtamento hæredem Appuliæ, & Calabriæ Bellegardum, ſeu Bagelardum filium, Nepotemve inſtituit. Quare indignatus Rupertus Bellegardum è ditionibus expulit, & Troiam, quæ ciuitas Pontificibus parere conſueuerat, ſubegit. Hanc Vrbem in Appuliç limitibus, vt colonia Appulorum, & Calabrorum ingenia compeſceret, & Romanorum vexaret fines, Babaganus Michaelis Græci Imperatoris Dux non multò ante ædificârat: quam ei poſt quartum obſidionis menſem ademptam, Henricus Secundus Imperator Benedicto x. Pontifici donârat. Troia à Ruperto capta, Nicolaus Secundus Pontifex in Appuliam migrauit, vbi pactis cum Ruperto initis, ab eo quidquid ad Eccleſiam ſpectabat, recepit; Quocirca Diris Anathematis luſtratum Appuliæ, & Calabriæ Ducem renunciauit: atq; in Vaſſallum, & Ligium Eccleſiæ ſuſcepit, annuo duorum boum, & duodecim denariorum cenſu conſtituto. Et hinc primum Eccleſiæ ius anno 1062. in Neapolis Regno ortum eſt, quod tempore incrementum acquiſiuit.

Illud Iuriſconſulti Feudum Ligium appellant, cui binæ competunt conditiones: Altera, vt ſeſe ipſum domino Vaſallus obliget, bonaq; omnia, ea etiam, quæ à Feudalibus ſeiuncta ſunt. Altera, vt iureiurando ſpondeat, ſe perpetuò obſequium domino præſtiturum, nulla cuiuſuis alterius obligationis habita ratione. Rupertus dein loca multa è Græcorum manibus abſtulit. Præterea frater eius Ruggerius, Ruperto copias, opemq; ſuggerente,

gerente, in Siciliam appulſus, quæ rurſus in Saracenorum poteſtatem delapſa erat, Meſſanam primò expugnauit, tum priorem Regni partem: illum ideò frater Siciliæ Comitem creauit. Et nos hoc illum nomine appellabimus, vt ab alijs huius gentis Ruggerijs dignoſcamus. Cum verò Rupertus in Picenum irrumpere inchoaſſet, eum Gregorius Septimus iterum Anathemare percuſſit. Sed citò conuenêre, Ruperto iterum in Vaſſallum, & Ligium Eccleſiæ recepto.

At illo è viuis erepto, in Patris ditiones inuaſit Ruggerius natu minor, qui Capuam, & omne ſolum Eccleſiaſtici, & Romani iuris ad Tyberim vſq; occupauit. Tũ Boemundus maior natu fratrem armis adoriri, nec prius abſcedere, quàm ſibi Appuliæ portionem relaxaret, Ruggerio, cum Ducis titulo cætera omnia obtinente: qui Amalphim ad Vrbanum Secundum transgreſſus ſeſe Protoligium Eccleſiæ conſtituit, Ducatus Appuliæ, qui tunc ad Siculum vſq; mare protendebatur, accepta confirmatione. Hinc (ex Scriptorum aliquorum teſtimonio) in Siciliam appulſus Siracuſas primò, tùm Inſulam totam ſubegit. Quod tamen ab aliquibus non huic Ruggerio, ſed Ruggerio Siciliæ Comiti, Ruperti Ducis fratri adſcribitur, qui ab Vrbano Secundo, maximi beneficij loco Legatus Apoſtolicus ea in Inſula eſt conſtitutus, qua præcellentiſſima iuris eminentia nunc quoq; Siciliæ Reges fruuntur; vnde Siculę Monarchiæ nomen emanauit. Occubuit Princeps iſte anno 1101. cui Regni ſucceſſores fuêre filij, primò Simeon maior natu, deinde Ruggerius Secundus.

Caliſto Secundo Pontifice creato, Vilelmus Appulię Dux, Ruggerij Ducis filius, Ruperti Nepos ſe Romam contulit, vbi Pontifex eum Eccleſiæ Ligium confirmauit. Dein cum Conſtantinopolim tetendiſſet, vt Alexij

Q Impe-

Imperatoris filiam ſibi ſponſam adiungeret, Ruggerius Secundus Siciliæ Comes eius conſobrinus anno 1129. Calabriæ, & Appuliæ ditiones ab ipſo ademit, ſibique additis, ſe Regem Italiæ proclamauit. Quapropter Innocentius Secundus, Romanorum ope conflato exercitu, in ipſum contendit, &, ſignis collatis, Romani profligati, Pontifex, & Cardinalium nonnulli in captiuitatem deducti; Quamuis ſacerdotij reuerentia magnus eis eſt habitus honor, & libertas etiam conceſſa; Qua permotus humanitate Pontifex ei quæcunque petijt, Regio excepto titulo, indulſit. Ipſe poſtmodùm has Pontificis conceſſione innixus Neapolim, quæ Græcorum erat Imperatorum, cœpit. At cum ob Innocentij captiuitatem Romæ interea Anacletus fuiſſet Antipapa renuntiatus, in Galliam Innocentius aufugit; Ruggerius ad Anacleti partes acceſſit, atque anno 1130. ab eo Titulum Regium vtriuſq; Siciliæ obtinuit, ſiue vt Faſelus ſcribit, titulos Regis Siciliæ, Ducis Appuliæ, & Principis Capuæ. Quamobrem Lotharius Imperator opem Pontifici ferendi ergo Italiam petijt, & Piſanorum claſſis virtute Ruggerium ab Italia in Siciliam repulit. Quare Pontifex Rainonem vnum ex Lotharij proceribus Appuliæ Ducem renunciauit. Sed poſt Lotharij diſceſſum, Lucio Secundo ad Pontificatum elato, Ruggerius in Italiam remeauit, ditiones ſuas omnes recuperauit, titulorum confirmationem à Pontifice obtinuit.

Poſt Ruggerij obitum Vilelmus improbus, eius filius regnorum adminiſtrationem ſuſcepit, qui cum ab Hadriano Quarto Neapolitani Regni infeudationem impetrare nequiuiſſet, nonnulla Eccleſiæ loca arripuit. Quare Pontifex illum excommunicatione deuouit, & ſubiectos ab obſequij iurati vinculo exemit, Beneuen-

tumque

tumque progreſſus potiorem Regni partem ad ſuũ præſentia tantùm Põtificali dominatũ pertraxit. At demùm Vilelmus Græcis, & Appulis, q. malè de Pontifice ſentiebãt, ad Brunduſium ſuperatis, Regno iterũ eſt potitus: & pace cum Pontifice inita, ab eo in vtriuſq; Regni iuribus anno 1155. infeudatus eſt, nec ſe vnquam laturum contra Eccleſiam arma iuramentum præſtitit. Atque ita Sicilia etiam tunc ſupremo Pontificis Imperio ſubijci viſa eſt.

Poſt Improbi Vilelmi mortem Vilelmus Probus ei filius vtrunq; Regnum adiuit, qui, nullis ſuſceptis liberis, anno 1189. diem obijt. quapropter Clemens Tertius Regna illa, tamquam ad Eccleſiam iure feudali deuoluta, Eccleſiaſtico Dominio penitus adijcere enixus eſt. Sed Siculi Regni proceres Tancredem Ruggerij Regis filiũ, & Vilelmi poſtremo defuncti patruum in Regem creârũt. Ex quo bellum in Appulia inter Pontificem, ipſumq; Tancredem exortum eſt.

Clemente vita functo, Cœleſtinus Tertius Pontificatũ obtinuit, qui Tancredem de Regno prorſus deijcere ſibi in animum induxit. quare Pontificiæ auctoritatis eminentia piaculo Religionis ſublato, Conſtantiã vltimi Ruggerij Regis filiam, quæ monaſticam vitam annos iã nata q̃nquaginta Panormi profitebatur, Henrico Sexto Federici Enobardi filio in matrimoniũ collocauit: cũq; is in Romanorum Regem fuiſſet electus, ei etiã Coronam impoſuit, adiectis conditionibus, vt bello vtramq; Siciliã peteret, ſibiq; cõpararet, Eccleſiæ cenſu erogato. Germani tamen Scriptores aſſerunt, Conſtantiam Henrico puellam nupſiſſe, nec Monaſticam egiſſe. Henricus igitur, poſt Tancredis obitum, cui Ruggerius Secundus ſucceſſerat diutino bello vtriuſque Regni potitus eſt, nunquam auxilium ei ſuppeditare deſiſtente Pontifice. Paulus Æmilius nihilominus ait. Quod vltra

Pharum non poterat vllum ſibi ius in Siciliæ Regno Eccleſia arrogare. Cœleſtinus iſte Decreta, quæ viſuntur adhuc, tria condidit. Primo edixit, ſi quid Princeps in Principem offenderit, caſtigationē ad Pontificem ſpectare. Secundò, vt Principes etiam maximi reuerentia ingenti proſequantur ſacerdotes. Tertiò inter competitores ob Imperium contentionibus ortis Othonem Quintum renuntiauit Imperatorem. Quamuis nonnulli declarationem hanc ad Innocentium tertium referāt. Diem extremum obiturus Henricus vxorem, & filium, qui Federicus Secundus Pontificis fidei commendauit. Quare cum Otho Imperator in Regnum Neapolitanū inuaderet, aqua, & igne fuit à Pontifice interdictus: quo ſacro Religionis fulmine agitati animis Electorum aliqui Federicum annos natum viginti, aut ex Fuſeli opinione, duodecim: qui ex auctoritate Pontificis Corona Imperatoria Aquiſgrani ſuſcepta, Comitatum de Fondi dono dedit Eccleſiæ. Licet ab eo, quem diximus Othone relictum teſtamento fuiſſe, tradat Riccius. Federicus autem nil exindè magis præ oculis habuit per quinque, & triginta totos annos, quibus Imperium tenuit, quam damna inferre Eccleſiæ, & Pontificibus moleſtiam exhibere. Quare in publicas execrationes ſępius incidit: licet aliquando in gratiam cum Eccleſia redierit: vt anno 1231. cum viginti circiter auri vncias, vt damna Eccleſiæ illata reſarciret, perſoluit, expiatusq; ab Anathemate rurſus Siculi Regni infeudationem accepit. Morti verò proximus Conradum maiorem natu Neapolitani, Henricum minorem Siculi regni, aut, vt aliqui ſcribunt, Hieroſolymarum hæredem inſtituit. Conradus in Italiam profectus Neapolitanum regnum, inuito etiam Pontifice, armis ſubegit: tum Henricum fratrem regni cupidine ſtimulatus (ſi Conſtantio fidem adhibemus)

mus) veneno ſuſtulit. Sed haud multò par pari redditum ei fuit opera Manfredi tertij fratris, quamuis nothi, ditionesq; in Conradinum puerum, Federici, vt Conſtantius inquit, filium, ſiue, vt Blondus, Collenutius, Riccius affirmant, nepotem ex Henrico fratre, deuenerunt. Manfredus, Conradini Nepotis, qui tunc in Germania agebat, primò curam ſuſcepit, tum eius ægritudine, obituq; per ſimulatos nuncios euulgato, ſe mira ſagacitate in Siciliæ Regem anno 1256. ſalutari impetrauit. Et Italia petita, Pontificijs aduerſantibus armis Neapoli, Latio, & Apprutio potitus eſt: Quibus Regnis ad Vrbani Quarti tempora pacatè inſedit. Vrbanus autem haud modicum illi negotium faceſſere Gallorum armis viſus eſt: Quæ cum etiam Manfredi viribus ſuccumberent, nuncios in Galliam vſq; Pontifex miſit, qui bina illa Regna Carolo Andagauenſi Sancti Ludouici Regis fratri offerrent. Quod cum Vrbanus inchoaſſet, Clemens Quartus anno 1265. perfunctus eſt, in vtrunq; Regnum infeudato Carolo, qui ſingulis annis octo, & quadraginta, ſiue, vt opinatur Riccius, ſeptuaginta ducatorum millia ſedi Apoſtolicæ in Diui Petri feſto die, & inſuper terno quoque anno candidum equum in cenſum ſolueret, ſeque ipſum, ſucceſſoresq; hac alligaret obligatione, vt nec ſibi, nec cuiquam illorum Imperium, vel ipſis offerentibus Electoribus, acceptare vnquam liceret: Quibus ſi pactis iret obuiam, omni penitus Regni iure caderet. Carolus Neapolim acceſſit, & ſignis collatis, Conradum interemit, exercitum profligauit, vtriusq; Regni potitus eſt. Conradinus & ipſe in Italiam profectus, amiſſa regna recuperandi ergo, ab Carolo cladem, necemq; reportauit. Sed poſt huiuſmodi ſecundæ fortunæ euentus Sicilia, Ioanne de Prochita auctore, qui Siculas veſperas inſtituit, à Carolo deſciuit, Petrumq; Taracinę

Digitized by Google

Regem Conſtantiæ Manfredi filiæ maritum vltro ſuſcepit;ſic altero ab altero,Siciliæ,& Neapolis reciſis regnis. Ideò Martinus Secundus, à nonnullis Quartus appellatus, Petrum excõmunicatione deteſtatus eſt, paternorum regnorum iure priuauit,in eis Carolo Valeſio, Philippi Galliarum Regis filio infeudato, in eumq; Cruciatum bellum edixit. Petrus in ipſa hoſtilium armorum repulſione è vita deceſſit, Regnis in filios teſtamento collatis, Arragoniæ quidem in Alphonſum maiorem, Siciliȩ in Iacobum natu minorem; qui pacis conditionibus initis anno 1295. Siciliæ Regnum Carolo Secundo Claudo Neapolis Regi, cuius pater Carolus Primus pridem occubuerat, remiſit. At Siculi Gallorum exoſi dominatum, nec Anathemate deterriti Federicum Secundum Regis Iacobi fratrem, qui tunc ad Regni illius gubernacula conſiſtebat, Regem acclamârunt. Hic autem quadraginta annorum ſpacio inſulam à ſe rectam Petro filio, Petrus Ludouico tradidit : cum quo Ioanna prima Neapolis Regina, Pontifex, veluti Forzellus ſcribit, pacem iniuêre his conditionibus, vt Ludouicus, Regni dominio ſibi obtento, quotannis in Sanctorum Petri, & Pauli feſtiuitate Pontifici, nomine Reginæ, tria millia vnciarum auri rependeret ; Neapolitano Regno, rebus id exigentibus, quindecim triremium auxilium præſtaret; Regina ius Siculi Regni ab ſe abrogaret, Pontifex ſacras execrationes, quas Cenſuras nominant, amoueret, & præteritorum annorum cenſus condonaret. Ludouico frarri ſucceſſit Federicus Tertius : Is dum aduerſo Marte contra Ludouicum Neapolitanum Regem, Ioannæ virum, qui magnam Siciliæ partem occupârat, pugnaſſet, in has ire conditiones eſt coactus: Ioanna vocaretur Siciliæ Regina, Federicus Trinacriæ, Reginæque, & Ludouici

foret

foret Feudatarius; eiſdem in Diuorum Petri, & Pauli, ſolemni die tria millia vnciarum auri quotannis in cenſum erogaret; ſublato tamen onere, quo tenebatur Pontifici pecuniam perſoluere: Neapolitanis rebus, id periculo poſtulante, certam quandam opem ferret: Mortua verò Regina, liber ab his omnibus euaderet, & inſulam Liparæam inſuper haberet. His hanc quoque conditionem Pontifex inſeruit, vt Eccleſiæ vterque conſtitueretur Vaſallus, regnum ei acceptum referret; & moriente Federico Tertio abſque marium liberorum ſobole Maria eius filia ad Regni celſitudinem admoueretur. Pax hæc anno 1365. inita eſt poſt tot inter Siciliæ, & Neapolis Reges continuò pugnata bella, in quibus Pontifices ſemper pro Neapolitanis ſteterant, quippè, vt plurimùm, Sicilia ſacris excommunicationum fulminibus intonata. Cumque Carolus Secundus è Petri Taraconenſis carceribus emiſſus Neapolim remigrâſſet, ipſi Pontifex Romæ Neapolitani, & Siculi Regni coronam impoſuit.

Poſt Carolum Secundum Rupertus ſecundò Genitus Neapolitanum regnum eſt adeptus, Caroli Ruperti Regis Hungariæ filij primùm à Carolo Martello geniti non habita ratione; cui Clementis V. ſententia Regnum decretum fuerat. Rupertus hic in aduentu Henrici VII. Italiam, vti Imperatoris Vaſallus, Piſas vadimonio appellatus, & Imperatoris ſententia, qui tunc Aretij agebat, abſens regno priuatus fuit. Pontifex autem ex aduerſo, poſt tamen Imperatoris obitum, ſententiam tulit, priuari non potuiſſe; quandoquidem eò, quò tutò veniret, non fuerat in iudicium vocatus.

Poſt Ruperti obitum Ioanna Andreæ Regis Hungariæ

gariæ prima coniux, cum iam Carolus eius pater, Regis filius occubuiſſet, ad Regni ſoliũ eſt euecta. Quæ quamuis Neapoli excederet metu, ne ſibi vis inferretur à viri fratre, qui Andrea defuncto in regnum illud inuaſerat, haud multò poſt tamen reuerſa eſt, & ab Ludouico Tarentino in vxorem eſt ducta. Tunc hi Siculi Regni iura, de quibus meminimus, acquiſiuêre, ſeu recuperauêre potiùs, Oppidis, Vrbibusq;, quæ tenebant, Regi Federico exhibitis. Humi condito Ludouico, & Ioanna quarto nupta Othoni Branſuicenſi Duci, Vrbanus Sextus, fœminam peroſus, Carolum Dyrrachij Ducem, marem è primi Caroli Regis ſtirpe vnum ſuperſtitem in Regem Neapolis, & Hieroſolymæ Romæ coronauit. Quare vt illa ſibi vires, & præſidia cumularet, Aloyſium Ducem Andagauenſem, Ioannis Galliarum Regis filium, anno 1379. in filium adoptauit. At Carolus Pontificis ſuffultus authoritate Neapoli potitus eſt. Reginam, & maritum captiuos fecit: dein ſeſe Vaſſallum Eccleſiæ conſtituit. Aloyſius filius Ioannæ adoptiuus in regnum impreſſionem fecit: à Pontifice Anathemate perculſus, ſed anno eodem vitam cum morte commutauit. At Carolus in Hungaria, vbi coronatus in Regem fuerat, enecatur, ſucceſſore Ladislao filio, quem ij Neapoli expulerant, qui penes Aloyſij Andagauenſis Rege Aloyſio nati, à quo etiam Clemens 7. Antipapa ſtabat, ſequebantur, Ladislao autem Vrbanus Sextus, dein Bonifacius Nonus, à quo Regni infeudationem accepit, fauebat. Aloyſius multorum annorum bello contritus regnum deſeruit, & ſe in Prouinciam recepit. Quare iactabundus Ladislaus ipſam Romam occupauit, Gregorio XII. Pontificatum obtinente. Illum ideò Alexander V. qui duobus è ſolio depoſitis Pontificibus fuerat Piſis à Cardinalibus Pontifex electus, aqua, & igni interdixit, accerſito Aloyſio, cui

ſio,cui regnũ infeudauit. At Ioannes XXII. Ladislaum, abſente Aloyſio,in gratiam recepit, nihilo tamen minùs Romam ille rurſus milite obruit,& anathemate damnatus obijt. Huic Ioanna ſecunda, quæ Duci Auſtriæ nupta extiterat, ſucceſſit. Quæ iam ſenior magnis obſeſſa viribus cum Aloyſium Tertium Aloyſij ſecundi filium, in Neapolitanum Regnum irruere intelligeret,nec opis quidquam à Pontifice ſperaret, eò demùm aſſentiente, non aliorum liberorum mater. Alphonſi Aragoniæ Regem in filium adoptauit. Progreſſu ſuo Alphonſus Reginam in libertatem vendicauit. Sed,è ſuſpicionum ſcaturigine inter eos ſimultate orta, Alphonſus ſuorum in ſatellitum cuſtodia Reginam deduci contendit: illa Neapoli euaſit, & ob ingratitudinem documento adoptionis reuocato Regem Aloyſium Tertium anno 1433. Romæ commorantem,adoptauit,non ſine Alexandri Tertij à nonnullis Alexandri Quarti appellati, qui Reginæ pariter opitulatus eſt,aſſenſu: & hac ratione Ioanna fuit Regno reſtituta. Hinc duodecim annorum curriculo quies effulſit, quibus elapſis paucos infra menſes occubuerunt,vterq;,Aloyſius,& Regina;quę,condito teſtamento,Renatum Andagauenſem Aloyſij Regis fratrem hæredem inſtituit. Is Pontificis Eugenij auxilijs auctus diù Alphonſum bello proſequutus eſt: attamen Regno tandem expulſus ad Pontificem confugit; à quo ſuppetiarum loco infeudationem Regni accepit, Regnum reuera Alphonſo obtinente. Atq; hac conflictuum viciſſitudine rurſus anno 1443. Regna Neapolis, & Siciliæ ſub vnius Domini Imperium redacta. Sicilia enim poſt Regis Federici funus in Mariam vnicam eius filiam peruenerat, quæ Martino Tarraconenſi Martini Ducis Montisblanci filio, Ioannis Regis Arragoniæ fratri nupſerat. Maria ſobole nulla diem obijt; Quare Maritus Regno

R infedit,

inſedit, quippe ab Iacobo Federici Regis Siciliæ fratre oriundus; Quamuis affirment multi, Federicum Mariæ filium, qui ſeptennis è vita migrauit, matri ſuperſtitem extitiſſe, & ideò Regni hæredem, atque ei deinde patrem. At cùm paulò ante Ioannes Arragoniæ Rex abſque liberis maribus deceſſiſſet Montisblanci Dux Regno ſe admôrat. Eodem itaque tempore Pater Arragoniæ, filius Siciliæ regnum obtinebat. Quoniam verò filius Patrem morte præuertit, Martinus ſenior vtrique Regno præfuit.

At vti Martinus in fata conceſſit, plurimæ ob Regnorum ſucceſſionem eruperunt contentiones, ſex enim competitores, qui ſibi id iure deberi aſſeuerabant, in Arragoniæ regnum inuiolârunt; Federicus Lunæ Comes, Regis Martini Iunioris filius, matre nothus; Ferdinandus, Infans Caſtilliæ, ducta origine à Violanta, ſiue, vt aſſerunt aliqui ab Leonora Martini Senioris ſorore, Henrici Secundi Caſtilliæ Regis vxore: Violanta Ioannis Arragoniæ Regis filia, qui Regnum teſtamento in Martinum fratrem transmiſerat, Martinus ceſſione in neptem. Hæc Ludouici Neapolitani Regis olim coniux, ſibi dolo à patruo Arragoniæ, & Siciliæ Regna fuiſſe erepta in medium afferebat, præterquam quod ad illa ſe admouendam affirmabat, quippe oriundam ab Ramirio Arragoniæ Rege, & ab Ruggerio Sicilię Comite. Petebat inſuper Matthæus Comes de Foes, ducta in vxorem Ioañā Violantæ ſorore, eodem nata patre. Alphonſus Candiæ Dux, Reborgontiæ Comes, & poſtremò Iacobus Comes de Isgel, qui ab Eliſabetha Regis Martini Senioris ſorore genus referebat: ſuper tanti ponderis cōtrouerſia nouem numero Iudices fuerūt electi, ex Arragonia tres, itidem ex Valentia, & ex Catalania totidem, hac inſerta conditione, vt in ſententia ferenda bini ſaltem

tem ex quolibet regno conuenirent. Hi ergo munitiſſimæ Arcis vallo circumſepti, ex qua prodire niſi, Rege electo, interdicebantur, Ferdinandum renuntiârunt Regem.

Hæc in Arragonenſis, in Siculi verò Regni ſucceſſione longè grauiores deferbuerunt colluctationes. Regina Blanca Martini iunioris olim coniux Regnum iure ſucceſſionis pro Regina Maria petebat, pronepte à fœmina ducto ſtemmate, Philippi Probi, & Ioannæ Reginæ Nauarræ, è cuius ſtirpe, & ipſa Blanca in lucem fuerat edita. Petebat pariter Bernardus Crapera, qui tum Regnum adminiſtrabat. At breui violentis in Craperam manibus iniectis, & ad Ferdinãdum Arragoniæ Regem inter cuſtodes ablegato, Blanca verò mortua, Siculi, nulla Pontificis intercedente authoritate, Ferdinandum in Regem elegerunt: qui vita functus vtrumque Regnum, Alphonſo ab ſe primùm genito, reliquit. Is autem à Regina Ioanna adoptatus, & ſi adoptionem ea poſtmodum reuocauerat, Neapolitanici Regni potitus eſt. Hæc cum illi ſecundo fortunæ afflatu eueniſſent, nulla mora Ferdinandum filium ſibi ſpurium Calabriæ Ducem conſtituit, Regnique Neapolitani hæredem inſtituit. Per hos igitur viarum amfractus Pontifices infeudationibus, Reges armis horum Regnorum ſibi iura vendicârunt: Quique eis poſſeſſione inſederunt, illa, vti libitum eſt, liberorum dominorum more, modo ad ſpurios, modò ad fœminas, modò ad externos tranſtulerunt.

Alphonſus cum Eugenio pacem his præcipuè conditionibus inijt. Pontifex eum in Neapolitano Regno infeudaret; à Ferdinando originis impedimentum amoueret, dum ei Regnum à Patris obitu capeſcere liceret: Alphonſus ſe Vaſallum, & Feudatarium Eccleſiæ

iuraret, onere ſibi impoſito certis auxilijs Pontifici opitulandi. Alphonſo mortuo Ioannes eius frater, Ferdinandi Catholici pater Regnorum Arragoniæ, Siciliæque adminiſtrationem complexus eſt; Neapolitanum verò ſeparatione rurſus à Siculo facta, ad Ferdinandum Calabriæ Ducem peruenit. Etſi Caliſtus Eugenij ſententiam, qua Ferdinandus Regno capeſſundo idoneus reddebatur, vti furtim ſurreptam aduerſo Diplomate abſcidit, ſubiectosq; à præſtandi obſequij iureiurando liberauit. At occubuit Caliſtus, in Regno ſe confirmauit Ferdinandus, Pio Secundo infeudationem præbente, Cenſus onera leuante, Regiam Coronam imponente. Scribit in hanc rem Corrius, quadraginta ducatorum millium cẽſum in equi vnius conuerſum fuiſſe. Porrò quamuis à Ioanne Renati Regis filio fuerit Ferdinandus bello laceſſitus, tamen hoſtem propulſauit, periculique ſecurus ad Alphonſum filium Regnum traiecit, tunc planè, cum Carolus VIII. in Italiam eius Regni adipiſcendi ſtudio contendit, non arma tantùm, ſed & iura iactitans. Renatus enim Ioanni filio ſuperſtes Carolum Nepotem Regnorum, & iurium omnium hæredem inſtituerat: Carolus nullis relictis liberis, Ludouicum XI. Caroli VIII. Patrem, qui florido exercitu in Italiam traiecto eximia fœlicitate nullo præpeditus obice Romam vſq; peruenit; vbi Alexander VI. Pontifex armorum metu Infeudationem Neapolitani Regni in eum contulit, quam paulò ante Alphonſo Regi contulerat, firmaratque. Carolus Roma excedens Regnum, vti Dominus, ne vno quidem ex aduerſo obluctante, peruaſit. Alphonſus ſiquidem, animis deſperatione abiectis, Regnum Ferdinando filio ceſſerat, cui nec conſilij, nec roboris, nec fortunæ ſuperfuit tantùm, vt Caroli aduentum moraretur. Sed, in hâc Caroli proſperitatem à Principibus Italiæ fœdere icto,

per

per arma, perque hoſtes Rex in Galliam euaſit. Ferdinandus principio Vrbem Neapolim recuperauit, tum potiorem Regni partem, deniq; Gallis vndique fugatis, vitam cum morte commutauit. Nec vlla ab eo proles. Quare in Federicum patruũ moriturus Regnum tranſmiſit, qui Rex minimè diuturnus fuit. Inito enim clam fœdere inter Ludouicum XII. Galliarum, & Ferdinandum Hiſpaniarum Reges, natum Ioanne, fratre Alphõſi illius, qui hæreditate, & Regum Arragonenſium veteri iure ad ſe Neapolitanum Regnum pertinere profitebatur, quippe armis, & opibus Arragonenſium ab Alphonſo primo patruo acquiſitum, clandeſtinis conditionibus conuenerunt, vt occupato Regno, illud inter ſe æquis portionibus diuideretur.

Hinc igitur Ludouicus ſe vim omnem ad Regni Neapolitani receptionem collocaturum præſeferebat: hinc Ferdinandus vti Regis agnatus, erat enim Nepos ei Federicus, arma intentabat, ſeſe ab Regno Neapolitano Gallos propulſaturum, iactitabat: idem Caroli VIII. tẽpore feciſſe; idem ſe modo facturum ſpondebat. His in ſpeciem prælatis ſociati Reges, vterq; ſuum, in Neapolitanas oras exercitus traiecerunt. Tunc Regis vtriusque Legati fœdus, ante penitus arcanum, & fœderis conditiones Pontifici propalarunt, ſeq; in Regno illo infeudari petiuerunt, quod ſubitò obtinuerunt. Quare Federicus Gallorum viribus dirutus, Hiſpanorum dolo circũuentus, expers Conſilij Regno ceſſit.

Fœderati Principes, Regno potiri manus inter ſe conſerere, Galli ab Hiſpanis penitus excludi, denuo Regnũ vtrumq; Neapolitanum, & Siculum in vnum dominium coaleſcere, Ferdinandum anno 1510. à Iulio Secundo eiſdem conditionibus infeudari, quibus antea Reges

Arragoniæ. Nonnulli tamen aiunt, cenſum pecuniarum fuiſſe ablatum, equi tantùm exiſtente.

Ferdinandum Carolus Auſtrius ex Ioanna filia nepos ſequutus eſt, qui poſtea & Imperator fuit electus, Leone X. diſpenſante, vt & Neapolis Regnum, & Imperium retineret: Ipſi licet infeudationi ex antiquorum forma celebratæ hoc aduerſaretur: Tunc cenſus ad ducatorum ſeptem millia, & ad equi exhibitionem redactus. Quomodo autem Regna hæc ad ſucceſſores à Carolo Quinto fuerint amandata, neminem præterit. Ex harum narratione liquet, Pontifices nunquam vltro Infeudationes largitos fuiſſe, ſed tempori inſeruiuiſſe, vt acquirerent, ſeu potius ne Regnorum illorum directum amitterent dominium. Coniectare inſuper licet, Principes Normandos ab Eccleſia Infeudationem quæſiuiſſe, vt legitimum aliquem titulum regnorum armis prærepctorum oſtentarent; Sueuos, & Andagauenſes, vt faciliorem ſibi viam ad acquiſitiones aperirent; Arragonenſes, ne ſibi publicam inuidiam conflarent, fama percrebeſcente, in Regni eos Neapolitani gubernacula, inuita Eccleſia, inuaſiſſe.

CAPVT XIV.

De Iure, quo Pontifices Patrimonium S. Petri poſſident.

SED, his per nos omiſſis, ad dominatus illius indaginem accedamus, quod Sancti Petri Patrimonium dicitur, de quo Blondus ita literis tradit. *Magnam res* Dec. 2. lib. 4. *Italica, maximam Paſchalis Pont. fecit iacturam in Mathildi Comitiſſa,*

Comitiſſa, quæ ſenio confecta obijt. Eam Martinus, & ipſum ſecuti Scriptores multi tradunt, Hetruriæ partem hinc à Peſſia agri Senenſis finium torrente, indè à Sancto Quirico dicti agri, & finium oppido, ad inferum mare, Tyberimque, quam Patrimonium Sancti Petri appellant, Pontifici, & Romanæ Eccleſiæ donaſſe. Hoſtiarius, qui omnibus, quæ apud Pontifices eius temporis geſta ſunt interfuit, & ad ſuperfluitatem multa ſcripſit, nullo in loco meminit. Platina tamen, qui præter cæteros per Martini veſtigia inceſſit, in hæc verba loquitur. *Hoc autem tempore Mathildis Comitiſſa admodum ſenio confecta moriens Romanæ Eccleſiæ ex teſtamento reliquit quidquid à Peſſia amne, & Sancto Quirico agri Senenſis, vſque ad Capuanum inter Appenninum, & mare pertinet, addita Ferraria, quæ adhuc Romanæ Eccleſiæ vectigalis eſt.* Lucas Silerius id patere, ait, à Radicofano ad Caperanum. In his autem ſilendum non eſt, Comitiſſam hanc, Federici Secundi ſorore natam, occubuiſſe anno 1116. qui decimus ſeptimus fuit, à quo Paſqualis Secundus Pontificatum attigerat. Hoc igitur tempore ab Eccleſia in has ditiones itum fuiſſe, dicendum eſt. Sed Ferraria ad Eccleſiam longè ante hæc ſpectabat tempora, ſi Conſtantini donatio per Carolum magnum confirmata eam Vrbem complectebatur, vt vidimus, cum de Romagnæ, ſeu de Flamminiæ, & Æmiliæ finibus loquuti ſumus. Quod ſi Patrimonium longitudine à flumine Peſcia ad Caperanum, quod oppidum proximum eſt Gariliano, Romanum agrum, & Latium interſecanti, latitudine ab Appennino ad mare protenditur, Romanus ager ambitu Patrimonij continebitur: At ſi non vltra Tyberim excurrit, vt Blondo viſum eſt, Romanus ager è Patrimonij limitibus arcetur. Quidquid tamen id ſit, Regio hæc tota ferè intra Ducatus Romani fines ſuperiùs deſcriptos

Paſchalis à Vita.

iacet,

iacet, quem, Vrbe, Vrbiſq; iuribus ad Eccleſiam deuoluris, & ipſum deuolutum meritò exiſtimemus: Totam ferè dico, quoniam pars ea paruula, quæ inter Todim, Vrbem veterem Romanæ ditioni finitimam, Sanctum Quiricum, & Peſciæ amnem, Patrimonio proximum, incubat, ad Romanorum iura non attinebat: Radicofanum profectò à Siluio nominatum eſt ab eo latere Patrimonij extremum: quod ab Hadriano Quarto, qui anno 1159. occubuit, munitum, & nulla vi expugnabile redditum, memorat Platina. Abbas autem Vrſpergenſis inquit, Federicum primum anno 1168. è fundamentis arcem excelſam in Radicofani montis vertice condidiſſe. Vt interdum Scriptores alter ab altero, diſcrepent.

Prolixum, & ſuperuacuum fortaſsè foret recenſere, quidnam iuris Matilde in ditiones ab ea legatas Eccleſiæ ſibi pepererit: cum, vt attigi, primò ad Eccleſiam, ſiue ad Ducatum Romanum potius ſpectarint.

CAPVT XV.

De Iure, quo Pontifices Auenionem poſſident.

AD alia igitur tranſibo, en vt breuibus expediam ea, quæ reuera Pontifices poſſident; pro comperto eſt, Auenionem Galliæ ciuitatem anno 1348. in poteſtatem Eccleſię ab Ioanna Neapolis Regina fuiſſe tranſmiſſam: Quanam autem id ratione factum ſit, diſcrepant Scriptores. Aſſerunt aliqui; Cum Ludouicus, Hungariæ Rex, Andreæ fratris necem inprimis contra Reginam Ioannam, vlturus in Italiam contenderet, illa ſibi fuga conſuluit, & Aloyſio Tarantino ſponſo nouello, comite è Neapoli in Prouinciam, è Prouincia Auenionem venit. Hac in Ciuitate, quæ Reginæ dominio ſubiacebat, conſidebant Pontifices: Clementis ergo pedibus cum

viro proſtrata opem implorauit. Pontifex, Regina in tutelam ſuſcepta, Legatum ad Ludouicum miſit, qui de pace, & rebus componendis ageret. Porrò Rex Neapolitani Regni abſq; vllius obſtaculo potitus in Hungariam remeârat. Locorum ergo longinquitate effectum, vt Pontificis officium euanuerit: Illa tamen populorum fauore Regalem ad thronum reuocata, in ipſo abitu dono Auenionem Eccleſiæ dedit: quo munere tantam ſibi gratiam apud Pontificem comparauit, vt Pontifex cognito Reginæ voto, quo Regium titulum marito reſtitui cupiebat, eum, in Benedictionis elargitione, Regem appellauit.

Autumant alij, Auenionem à Regina Pontifici fuiſſe venundatum; in acceptum etiam relatis pecunijs, quæ ob Neapolitani Regni cenſum debebantur Eccleſiæ. Alij tradunt, Pontificem, Auenione accepto, nummos Reginæ non erogaſſe, ſed tantùm æs alienum remiſiſſe, quod, Feudalibus cenſibus non ſolutis, cum Eccleſia cõtraxerat: & venditionem in ſpeciem ſolummodò fuiſſe celebratam, & Aloyſium huius conuentionis gratia titulum Regium obtinuiſſe. Sunt, qui ſcribunt, non Neapolitani Regni titulum Aloyſio fuiſſe collatum, ſed Siciliæ, & Hieroſolymæ, quæ Regna nec habebat, nec habere poterat; & cum à Pontifice nullum re auxilium Regina impetrâſſet, & Neapolim reditura pecuniæ indigentia valdè laboraret, Auenionem triginta aureorum florenorum millibus Pontifici vendidiſſe. Vtut res fuerit; hoc certè conſtat, Auenionis dominium à Regina, quæ pecuniarum mirum quantum egebat, fuiſſe tranſlatum in Pontificem, triginta millium florenorum pretio, ſiue fuerint in promptu, ſiue ex Feudi cenſu debiti. Et conſtat pariter, Aloyſio [illegible]lum ſiue Neapolitani, ſiue alterius Regni, ſiue h[illegible] de cauſa fuiſſe collatum.

tum. His freti iuribus Ciuitatem illam hactenus Pontifices tenuerunt.

CAPVT XVI.

De iure, & actione, quam Pontifices in Tridentinam Ciuitatem habent.

HIc mihi non videtur omittendum, quod in Corio legitur, Vincislaum nempè Caroli Quarti Imperatoris filium, cum in Regem Romanorum fuiſſet electus, Gregorio Pontifici XII. anno 1377. Tridentum donaſſe.

CAPVT XVII.

De iure, & actione, quam Pontifices habent in Ciuitates aliquas Longobardiæ.

ME fugit tamen, an in Longobardiæ ciuitatum dominijs ius aliquod anno 1340. acquiſiuerit Eccleſia dum Ludouico Bauaro anathematum Diris damnato, & pace à Scaligeris inita cum Venetis, & fœderatis, Benedictus XII. Longobardię Tyrannos in legitimos Principes confirmauit.

Nam Mediolani, & in eius Vrbis ditione Luchinum, & Ioannem Vicecomites Apoſtolicos Vicarios creauit: Martinum Scaligerum Veronæ, & Vincentiæ: Vilelmũ Gonzagam Mantuæ, & Aretij: Albertinum de Carrara Patauij: Albertinum Eſtenſem Ferrariæ, Mutinæ, & Argentæ. At quoniam hæc Eſtenſium dominia ad Eccleſiã attinere putabantur, onus eis decem millium coronatorum quotannis ſoluendorum in cenſum impoſitum eſt. Bauarus autem eodem tempore, & ipſe in Eccleſiæ ditionibus Imperatoris Vicarios conſtituit: Ioannem de Vico Viterbi in Hetruria: Galeottum Malateſtam, &

fratres

fratres Arimini, in Romagna; Antonium Feretanum Piſauri, & Fani in Piceno: Vrbini Rudulphum; Caleis Gallaſſum Rudulphi fratrem; Fabiani Alegrettum Chiauellum; Matelicæ Balgaruccium; In Sancti Seuerini oppido Medduccium.

Camerini Gentilem Varanum; in monte Melonis Michaelem: Cinguli Pangonem: Chieſis Ioannem Boſchettum, quæ Piceni oppida ſunt; Guidum de Polenta Rauennæ; Franciſcum, & Sinibaldum Ordelaffos in Foroliuij, & Ceſanæ; Ioannem Manfredum Fauentiæ, quæ Romagnæ ſunt Vrbes; Neſcio, inquam, an illa Pontificis actio quidquam iuris, temporis lapſu, addiderit Eccleſię, ſiue ob acerbiſſimas ſeditiones, quæ tunc inter Imperiũ, & Eccleſiam gliſcebant; ſiue multò magis ob id, quòd Imperio ab Imperatore Anathematis ſententia abrogato, tunc Imperium vacabat, quo caſu ad ſe Pontifices adminiſtrationem ſpectare profitentur. Pontifex ergo Imperatoris loco tunc Vicarios illos creâſſe, aut confirmâſſe videtur: Cenſus ideò ſoluendi grauamine eas tantùm Ciuitates onerauit, quæ iuris erant Eccleſiaſtici.

Si verò per confirmationem illam ius aliquod in Vicariorum eorum dominatu acceſſit ad Eccleſiam, nulla factionum, & turbarum illarum habita ratione, multò magis in Regnis illis ius eſt illi quæſitum, quorum infeudationem Principes, dum eis ſolio inſiſtebãt, vel iamiam ad ſolium erant euehendi, à Pontificibus poſtulârunt, & ſe ipſos Eccleſiæ ſubiecerunt: quemadmodum ex eis, quæ proximè enarrabuntur, Arragoniæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ruſſiæ, Sardiniæ, Hieroſolymæ Regna videntur eſſe.

CAPVT XVIII.

De iure, & actione; quam Pontifices habent in Regno Arragoniæ.

IOANNES Mariana ſcribit; Petrum ſecundum Arragoniæ Regem cum in Maioricam, & Minoricam, tunc à Saracenis oppreſſas, expeditionem pararet, ad illud curam intendiſſe, vt Ianuenſes, & Piſanos mutuis conflictibus debacchantes ſocietate coniũgeret, &, quoniam Innocentius Tertius ſe optimè erga Arragonenſes animatum, multis argumentis præſetulerat, Romam anno 1208. contendiſſe, & 21. Nouembris in Sancti Brancatij templo à Petro Portuenſi Epiſcopo vnctum, ab ipſo Põtifice coronatum, in regalibus inſignijs magna ſolemnitate effulſiſſe: & Regibus Arragonenſibus tunc conceſſum: vt in poſterum Coronam in proprio Regno acciperent coram Archiepiſcopo Taraconenſi, vti Pontificio Legato.

Nec enim vſus adhuc inualuerat, vt Arragonenſes Reges, ſimul ac occubuiſſet Pater, filius nomen, & Regia ſumeret Inſignia: ſed Hiſpanicus mos ſolemnitatem hanc ad illam diem referebat, vel cum equeſtri ordini adſcribebatur, vel cum vxorem ducebat. Huius honoris beneficio Rex affectus cenſum aliquorum auri pondo Pontificibus quotannis rependendum in Arragonenſe Regnũ conſtituit. Grauiter tamen id incolæ indoluerunt, querimonijs effuſis; hinc ipſorum immunitatem labefactari, & Pontificibus anſam præberi, quoties mens tulerit, in Arragonenſi re turbas concitandi. Hæc Mariana. Quin mirum fuit, populos libertatis apprimè tenaces acquieuiſſe, præcipuè cum eæ immanè quantum aduerſarentur leges, quas ipſi Principio, Regem electuri, ſibi condiderant

derant. Earum hæc erat ſumma, quod, cum Arragonenſes quidquid Mauris ademiſſent, nouello Regi credere decreuiſſent, nunquam ille ſibi in animum induceret ſuper his, quæ poteſtatem ei conceſſam excedebant, quidquam ſtatuere, niſi duodecim procerum ex condicto electorum conſilio, & aſſenſu, nec ei liceret de publicæ libertatis iuribus quidquam detere. Quare vel tunc Magiſtratus inſtitutus fuit, qui Iuſtitia Arragonenſis etiamnum appellatur; qui exindè legibus, authoritate, populorum affectu, pro temporum viciſſitudine Regiam licentiam, ne nimium excurreret, certis coërcuit limitibus.

Cenſum hunc ab Arragonenſibus paucos annos præſtitum fuiſſe exiſtimo. Vbi enim Angelus Conſtantius apparatum enarrat, quem Petrus Tertius Arragonenſis, dum Siculi Veſperis cædes inſtruebatur, inſtituebat, inquit, Legatum à Rege Romam fuiſſe miſſum Martino Secundo gratulandi ergò de aſſumptione ad Pontificatum, quo de ſui Regis in Siciliæ Regno iuribus agente: Petri quippè vxor Conſtantia Manfredi Regis fuerat filia, ſubiecit ei Pontifex: *Dite al Rè Pietro, che farebbe aſſai meglio pagare alla Chieſa Romana tante annate, che deſſe pro lo cenſo, che Rè Pietro ſuo auo promiſe di pagarli, & i ſuoi ſucceſſori, come veri Vaſalli, & feudatarij di quella, & che non ſperi, fin che non hà pagato quel debito, riportare gratia alcuna dalla ſede Apoſtolica; quæ idiomate latino ſonant, Dic Petro Regi, ſatiùs illi futurum, ſi debitas ob cenſum Romanæ Eccleſiæ penſiones annuas à Rege Petro auo, & ſucceſſoribus, ceu verè ſubditis, ac feudatarijs promiſſas bona fide perſoluèret, Hoc ſi re ipſa præſtare abnuat, Pontificem nunquam rem illi gratam facturum ſperet.* Angelo Conſt. Hiſt. di Napoli lib. 12.

Cum verò ſanguinolentæ illæ Veſperæ in Sicilia ſecutæ fuiſſent, Carolus Neapolitanus Rex, vt idem

S 3 ſcribit

ſcribit Conſtantius, dicere ſolitus fuit Petrum in ſummam perfidiam, ſiue vt aiunt in felloniam incidiſſe, qui Feudatarius Pontificis vti Rex Arragoniæ id in Sicilia, Pontificis pariter feudo, perpetrâſſet. Tunc Martinus Pontifex, indignatione tantæ cladis, damnique, & iniuriæ Gallis illatæ commotus, Petrum aqua, & igni interdixit, & paternis Regnis Arragoniæ, & Valentiæ priuauit, hærede in eis inſtituto Carolo Valeſio ex eiuſdem Petri ſorore, & Philippo Galliarum Rege nato. Præterea bellum Cruciatum in Petrum edixit: Quare Galli in ipſum tàm ob Siciliæ, quàm ob Arragoniæ Regnum comparandum anno 1285. expeditionem bellicam inſtituerunt: qua Galliarum Rex Pupiliani, Roncilionis, & Gerondæ potitus eſt. Sed cum Ienuenſes, & Piſanas triremes, quæ penes illum merebant, dimiſiſſet, Ruggerius de Oria maritimarum rerum ſupremus Dux eas ad Arragonenſis Regis ſtipendia, cui & ipſe inſeruiebat, traduxit, & earum robore, Gallorum primò claſſem diſſipauit, tum in mari Siculo Neapolitanam, tertiò aliam, quæ ab Hetruria militem in Siciliam vehebat. Quocirca inter Gallos, & Arragonenſes hac conditione pax eſt inita, vt Caroli Secundi Claudi Neapolitani Regis filius è cuſtodijs, quibus coercebatur, emitteretur, quò Nicolaum Quartum in eam deduceret ſententiam, vt Iacobum Arragonium Petri Regis iam mortui filium in Regno Siciliæ infeudaret, & Carolum Valeſium in eam, vt iura Regni Arragonenſis adipiſcendi deponeret, quæ in ipſam ex Martini Infeudatione profluxerant. Sed cum horum ſpes irrita euaſiſſet, ad arma iterum itum eſt. Pax tamen iterum Pontificiorum Legatorum opera eſt firmata anno 1287. his inter cæteras adiectis conditionibus, vt Carolus Valeſius à ſe Regni Arragonenſis infeudationem

abroga-

abrogaret, Rex Arragonenſis cenſum, cui Regnum eius fuerat obnoxium, & tamen per tot annos omiſſum, planè ſolueret Eccleſiæ: nec de Iacobo Siciliæ Rege verbum quidem.

CAPVT XIX.

De iure, & actione, quam in Dalmatiæ, & Croatiæ Regno Pontifices habent.

HAc eadem ſubiectionis forma Dalmatiæ, Croatiæque Regna Eccleſiæ dominio ſubiacent, & in hæc verba de his loquitur Steuchus; *Regnum item Croatiæ, & Dalmatiæ Eccleſiæ Romanæ ſunt, quemadmodum habetur in archiuio ſacri Palatij Lateranenſis in regiſtris Gregorij ſeptimi, in quibus hæc de Rege, & Regno Dalmatiæ leguntur.* Aug. Steuchus in Laur. Vallam lib. 2. cap. 98.

In nomine Dei, ſanctæ, & indiuiduæ Trinitatis anno dominicæ incarnationis MLXXVI. Indictione XIV. menſe Octobris. Ego Demetrius, qui, & Sinumuir nuncupor, Dei gratia Croatiæ, Dalmatiæque Dux, à te Domino Gebizo & Apoſtolicæ ſedis legatione Domini Papæ Gregorij poteſtatem obtinens in Salontana Baſilica S. Petri, ſynodali, & concordi totius Cleri, & populi electione, & Croatorum, Dalmatinorumque Regni regimine per vexillum, enſem, ſceptrum, & Coronam inueſtitus, atque conſtitutus Rex, tibi deuoueo, & polliceor, me incommutabiliter completurum omnia, quæ mihi tua reuerenda iniungit ſanctitas, vt in omnibus, & per omnia Apoſtolicæ ſedi fidem ſeruẽ. Et quidquid in hoc regno tàm Apoſtolica ſedes, quam Legati ſui ſanxerunt, vel ſanxerint, irreuocabiliter cuſtodiam, iuſtitiam excolam, Eccleſiam defendam, primitiæ, decimæ, omniumque ad Eccleſias pertinentium procurator exiſtam, vice Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorumque, vt caſtè, & regulariter viuant, prouidebo. Pauperes, viduas,

viduas, atq; pupillos protegam; parentellæ illicitam copulam destruens, legitimam dotem anulo, ſacerdotisq; benedicti[one] conſtituam, & conſtitutam corrumpi non permittam: Hominum venditioni contradicam. Atq; in omnibus, quæ ad rectit[u]dinis ſtatum congruunt me æquum exhibebo. Ducentorum quoq; Byzantiorum tributum meorum omnium conſultuum, primatuum Sancto Petro per ſingulos annos in Reſurrectione Domini de mihi conceſſo Regno perſoluendos ſtatuo, & vt poſt me reg[n]aturi, hoc idem perpetuo ſeruent, ſentio, corroboro, atq; ſancio. Dono inſuper, concedo, atq; confirmo Apoſtolicæ ſedi Sancti Gregorij Monaſterium, cui Vrana eſt vocabulum, cum omni ſuo theſauro, ſcilicet cum capſa argentea, reliquias ſacri corporis eiuſdem B. Greg[o]rij continente, cum duabus coronis aureis, gemmis ornatis, cum Euangeliorum textu de argento, cumq; om[n]ibus ſuis mobilibus, & immobilibus, bonis, vt Sancti Petri legatus ſemper ſit ad hoſpitium receptus, & omnino in poteſtate eorum. Hoc tamen interpoſito tenore, vt nulli alij poteſtati detur, ſed omni tẽpore Sancti Petri ſit proprium, & à me, meisq; ſucceſſoribus defenſum, atq; ab omni homine liberum, atq; ſecurum. Cuiuſcumq; autem audacia, temerario auſu præfactum Monaſterium ex aſſignato theſauro priuauerit, terribilem illam iudicis vocem, quã Diabolus cum Angelis ſuis auditurus eſt, audiat. Præterea cum Deo ſeruire regnare ſit, Vice B. Petri, ac Domini noſtri Pa[p]æ Gregorij, atq; poſt ſe ſucceſſorum in Apoſtolica ſede me tuis manibus committo, & committendo hanc fidelitatem iuramento ſtabilio. Ego inquam Demetrius, qui, & Sinamuir Dei gratia, & Apoſtolicæ ſedis dono Rex ab hac in antea Sancto Petro, & Domino meo Papæ Gregorio, & ſucceſſoribus canonicè intrantibus ero fidelis, & vt ipſe, ſiue poſt eum f[u]turi Pontifices, ſiue Legati eorum, aut membra p[e]rdant, a[u]t capiantur, neq; in conſilio, neq; in facto ero. Et conſilium, q[uo]d mihi crediderint ad illorum damnum, ſcienti mihi intimabo. Regnum autem, quod mihi per manum tuam domine Gebizo traditur fideliter retinebo, & [i]l-

lum,

lum, ſuumq́; ius Apoſtolicæ Sedi aliquo ingenio aliquando non ſubtraham, dominum meum Papam Gregorium, & ſuos ſucceſſores, atq́; Legatos, ſi in meam poteſtatem venerint, honorificè ſuſcipiam, & honeſte tractabo, & remittam, & vndequaque me inuitauerint, prout potuero ſimpliciter eis ſeruiam.

Ex his publici documenti aſſertionibus conijcere licet, Demetrium Dalmatiæ, Croatiæq; Ducem extitiſſe, Prouinciasq́; feudali iure Eccleſiæ ſubieciſſe, vt Regis titulum obtineret. Hic tamen eſt animaduertendum, non in vniuerſam Dalmatiam, & Croatiam, ſed tantùm in partem Demetrium exercuiſſe dominatum. Ex hiſtorijs enim patet, Petrum Orſeolum Venetiarum Ducem, annuentibus Baſilio, & Conſtantio Grçcis Imperatoribus, quibus Reges illi ſceptrum acceptum referebant, Dalmatiæ oras omnes maritimas Reip. ditioni, vel anno 999. ſubieciſſe; & ideò Dalmatici Ducis titulum etiam induiſſe. Ab hoc non alienum eſt, quod de Andrea, & Salomone Hungariç Regibus legitur, quorum alter magnum Venetæ Vrbi negotium faceſſiuit, alter anno circiter 1048. Iaderam ad primam exciuit defectionem. Ab his quoq; cõiectare licet, Dalmatiam, Croatiamq; Conſtantinopolitano Imperatori, vti ſupremo Domino, morem geſſiſſe. Vitalis enim Falerius anno 1084. in Ducem Venetiarum electus, legatis ad Alexium miſſis, Dalmatiæ, Croatiæq; titulos impetrauit. Et cum Carolus magnus Dalmatiæ partes à mari remotas Imperio Græco ſubiectas anno 800. edomuit, maritimas oras Grçcorum arbitrio permiſit.

Eſt itaq; pro comperto maritimas Dalmatię ciuitates ante etiam Demetrio factam infeudationem, ad Remp. Venetam attinuiſſe, nec eas Regum Hungarorum, vel Dalmatum quenquam Venetis ademiſſe, licet bello aliquoties tentarint, continuata ſemper Venetorum poſ-

ſeſſione ex Imperatorum Græcorum, ad quos ſupremũ ſpectabat dominium, authoritate, & conſenſu. Non igitur Dalmatia tota, ſed pars tantùm à Demetrio potuit Eccleſiæ ſubijci. Iam verò Demetrium hunc, ſecus Seiemumium vocatum, Bonfinius Toleminum appellat, aitque in vxorem duxiſſe ſororem Gheiſæ, & Ladislai Regum Hungariæ, & moriturum coniugi teſtamento Regnum reliquiſſe, quæ ab inuaſoribus vexata ad fraternam opem Ladislai Regis confugit, & ab eo Regnum pacatum tenuit: cui poſtmodùm liberorum expers illud inceſſit. Ex hoc Dalmatia, & Croatia Hungariæ ſceptro fuerunt annexæ, nulla inpoſterum Eccleſiæ mentione facta. Nec liquet, an cenſus ſtipulatione Gregorio promiſſus fuerit vnquam ſolutus, & multò minùs per quot annos. Sed quoniam Pontifex hic ſæpè narrationi noſtræ occurret, tenendum eſt, hunc eum eſſe Gregorium animo tam elato, qui in Nicephorum, ideò quod ad Græci Imperij faſtigium conſcenderat, excommunicationem eiaculari non eſt veritus: eum, qui Henricum Quartum à Platina Tertium nuncupatum, cõtrouerſia inter ipſos, infeudationum faciendarum gratia oborta, aqua, & igni interdixit, Regia dignitate ſpoliauit, & Prouincijs ab obſequio iurato exemptis, ſupplicem Canuſſium venire adegit: eum, qui eundem Imperatorem publicè execratus Diris deuouit, quare ab Imperatore Clemente Antipapa creato inter ipſum Cæſarem, & Gregorium toto Pontificatu ſimultates exarſerunt; eum, qui Boleslaum ſecundum Audacem, Poloniæ Regem Anathemate damnauit, & Regni iure deturbatum pronunciauit, eò quòd Epiſcopum Cracouienſem, à quo fuerat Eccleſiaſticis interdictus, morti dediſſet; eum denique qui Iurium, & authoritatis Eccleſiæ ſemper ſe acerrimum aſſertorem, defenſoremque præſetulit. Cum igitur Grego-

Digitized by Google

Gregorius hac eſſet præditus mente, ſuſpicari rectè poſſumus, ab eo iura omnia fuiſſe indagata, quæ quomodolibet poterant Eccleſiæ competere.

CAPVT XX.

De iure, & actione, quam Pontifices habent in Regno Ruſſiæ.

AB ea, quam in Dalmatia, & Croatia vidimus, non longè diſcrepat obligatio, qua Ruſſiæ Regnum eſt Eccleſiæ deuinctum. De Ruſſia enim in hæc verba loquitur Steuchus: *Regnum item Ruſſiæ iuris, ac ditionis eſt* Steuchus, l.2.c.97. *Romanæ Eccleſiæ, quod eadem priſca monimenta præſeferunt. Gregorius idem Sep. Regi, & Reginæ Ruſſiæ ſcribens. Dilectis, inquit, filijs Demetrio Regi Ruſſorum, & Reginæ vxori eius ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Filius veſter limina Apoſtolorum viſitans ad nos venit, &, quod Regnum illud dono Sancti Petri per manus noſtras vellet obtinere, eidem Beato Petro Apoſtolo debita fidelitate exhibita deuotis precibus poſtulauit: indubitanter aſſerens illam ſuam petitionem noſtro conſenſu ratam fore, & ſtabilem, ſi Apoſtolicæ ſedis gratia, ac munimine donaretur. Cuius petitionibus, quia iuſtæ videbantur, tum ex noſtro conſenſu, tum ex donatione poſcentis, tandem aſſenſum præbuimus, & Regni noſtri gubernacula ex parte B. Petri tradidimus, ea videlicet intentione charitatis, vt B. Petrus vos, & Regnum veſtrum ſua apud Deum interceſſione defendat.*

Hîc autem ſedulò perpendendum eſt, an Pater, quod filius ſtipulatus ſit, confirmârit: An filius Regnum, cui pater Rex inſedebat, abſque Patris conſenſu obligare potuerit: An filio ad Regni gubernaculum per Pontificem admoto, Pater regnandi iure deciderit: quatenus

verò non deciderit, quidnam iuris, aut Regiminis Pontifex in Regis filium tranſmiſerit. Animaduertendum eſt præterea, non petitum fuiſſe, vt Regnum feudali beneficio traderetur, ſed Diui Petri nomine donaretur, nec, veluti coniectari è verbis licet, cōceſſionem factam fuiſſe, vt Ruſſiani propḣano Eccleſiæ dominio ſubijcerentur, ſed vt apud Deum Diuum Petrum amicum oratorem haberent. At quod Gregorius ait; *& Regni noſtri gubernacula ex parte Beati Petri tradidimus*; magnopere huic opinioni aduerſatur. Illa igitur omiſſa, exiſtimandum potiùs eſt, eum, qui Pontificem adijt, Regulum aliquem Rutenum, non Regem extitiſſe. Nec enim ex eis Regibus hoc appellatur nomine. Namq; ex Sigiſmundi Liberi ſcriptis patet, Helenam Rutenorum Reginam fuiſſe Conſtantinopoli Baptiſmatis ſacris anno 963. initiatam, & primam in eo Regno Chriſto nomen dediſſe, filio eius Succahiſlao in Gentilitate anno 980. moriente, Succahiſlao ſucceſſit Volademirus, filius ſpurius, qui Ierapolcone, & Olage, Olage fratribus de medio ſublatis, Ruſſiæ Monarca extitit. Volademirus hic Idolis nunciū remiſit, & ad Græcam Chriſti Eccleſiam ſe recepit, Volademiri in Baſilij nomen conuerſo: nouemq; ſuſcepit liberos, Itoſlaccum, Ieroſlaccum, Vrauoldum, Sauatopolcum, Solſauum, Suuatiſlaum, Stauislaum, Borim, & Chlebim, qui, patre mortuo, inter ſe armis pro Regno decertare, & Volademirum tandem Vradolfi filium Ruſſiæ totius monarchica ditione potiri, & ipſum anno 1133. diem obire. Gregorius autem ad Pōtificatum anno 1073. euectus, fato eſt functus 1088. Quapropter neceſſe eſt, Demetrium, ad quem Pontifex ſcribit, aliquem fuiſſe ex primi Volademiri nepotibus, qui, priuſquam vltimus Volademirus omnia occupâſſet, inter ſe dominandi cauſa digladiabantur, vel Satrapam aliquem longè

minorem

minorem. Non igitur Ruſſiam totam, ſed partem tantùm, atque eam modicam ad Eccleſiæ dominium acceſſiſſe.

Idem Sigismundus refert à primo Ruſſiæ domino vſque ad annum 1514. vltimo Baſilio regnante, Principes eos nunquam alium ſibi adſcripſiſſe titulum, quam Ducis, ſeu magni Ducis. Baſilius hic ſe Regem, & dominum Ruſſiæ appellare incœpit. At quamuis, literis ad Pontificem, ad Cæſarem, ad Regem Suetię datis, hoc ſe ipſum nomine attolleret, non tamen ab eis aliud referebat, quàm Ducis. Autumo inſuper Demetrium illum non leui de cauſa Eccleſiæ Romanæ iugo ſubiuiſſe, Rutenis Græcorum ritum inſequutis.

CAPVT XXI.

De iure, & actione, quam Pontifices habent in Regno Sardiniæ.

IN FEVDATIONIS Sardiniæ non penitus apud Scriptores mihi perlectos abolita ſunt veſtigia. Frater Leander, Ienuenſes, & Piſanos è Saracenorum manibus inſulam illam, Pontificis cõſilio, extorſiſſe enarrat; & ideò à nonnullis Sancti Petri, & Eccleſiæ Romanæ Patrimonium vocari. Nec fortaſſe abhorret à vero, Infeudationem tunc temporis à Pontificis dextera emanâſſe, Et Mainoldus, vbi de titulis agit Regnum Hiſpanorum, ait, rem hanc anno 1015. geſtam fuiſſe, &, conuentione inter eos inita, exuuias Ienuenſibus, Inſulam Piſanis obtigiſſe. Idem Frater Leander alibi recenſet, Caliſtum Secundum anno 1119. Pontificem creatum, dum è Burgundia reuerteretur, Feudum Sardiniæ in Piſanos contuliſſe; Quibus dein cum Pontifice altercantibus Regnum fuiſſe ademptum, & Arragonenſi Regi iure pariter Feudi

 à Ponti-

à Pontifice traditum. Et Clarius inquit alibi, Gregorium IX. Lateranenſi Concilio contra Federicum Secundũ conuocato, Piſanos anno 1227. qui Gregorio poſtremus fuit, Sardinia priuâſſe, eò fortaſſe, quod Federico adhæſiſſent; Nec Ioannes Villanus, nec Interianus in Ienuenſium Hiſtoria miſſam hanc poſſeſſionem faciunt, quam in Sardinia obtinuerunt Piſani. At infeudatio Regi Arragonenſi facta ex Steuchi dictis annum 1227. anteſtat. Ex eo enim, cum Petrus Arragonenſis anno 1207. qui Innocentio Tertio Pontifice erat tertius, Romam venit, & vltro proprium Regnum Feudali iure ab Eccleſia accepit, ſuam ſimul fidem Pontifici obſtrinxit ad certam pecuniarum ſummam pro Sardiniæ Regno annuatim ſoluendam. Enimuerò Ioannes Villanus, qui temporibus illis proximus vixit, & Conſtantinus, & Mariana aſſeuerant, Iacobum Arragonenſem Regem à Bonifacio VIII. Romam accerſitum, & Sardiniæ, & Corſicæ Regem, vt Piſanos iniquos oppreſſores indè amoueret, renunciatum. Sed non vt iura, ita rem celeriter Rex eſt adeptus. Anno enim 1302. inter Carolum Valeſium Neapolis, & Federicum Siciliæ Regem, Iacobi fratrem, ſiue inter ipſum Iacobum hæ pacis conditiones initę ſunt: Vt Philippus Taranti Princeps, & captiui omnes ab vtraque parte liberarentur: Federicus Italia, Carolus Sicilia cederet: Eleonora Ruperti ſoror Regi Federico fœdere connubiali ſociaretur; dotiſque nomine Siciliam viro traderet; donec ille Sardiniam, & aliquod Regnum aliud conſilio, & ope Pontificis acquireret. Quibus in tractationibus eò ſemper Pontifex inſpexit, vt Federicus, Iacobo fratre ſuadente, vel alia impulſus ratione Carolo Neapolitani Regi Siciliam permitteret. Iacobus igitur, à Pontificis Infeudatione quinque, & viginti elapſis annis, milleſimo, trecenteſimo vigeſimo tertio contra

contra Piſanos per annum integrum bello geſto, Sardiniam eis ademit. A quo tempore, cum magnam eius Inſulæ partem Ienuenſes occupâſſent, bellum in eos eſt continuatum. Ideò refert Interianus, Arragonenſes anno 1331. ſpe totius Sardiniæ imperium complexos fuiſſe, acriter Ienuenſibus portionem ſuam ſeruantibus. Ex aduerſo Blondus, & Platina recenſent, quod Saraceni Piſanis, dum ij contra Ienuenſes armis confligebantur, Sardiniam eripuêre. Quare illam Clemens V. anno 1305. quo ille ad Pontificatum fuit elatus, Federico Siciliæ Regi conceſſit, dummodò protinus è raptorum manibus euelleret. Nec forſan incongruum videtur, ſi quis opinetur, has Infeudationes omnes reuera extitiſſe, ſed temporibus diuerſis celebratas. Vtcunque ſit tamen pro comperto eſt, Sardiniam ad Arragonenſium Regum dominium perueniſſe ex infeudatione ab Eccleſia Romana in eos collata.

CAPVT XXII.

De iure, & actione, quam Pontifices habent in Regno Hieroſolymitano.

REGNI verò Hieroſolymarum Infeudationes à Pōtificibus cōmiſſas non reperimus, ſed coronationes tantùm. Nos tamen latet, an ex his ius aliquod oriatur. Vt autem hæc clariùs eluceſcant, in memoriam reuocandum eſt, Federicum primum Siciliæ Regem in Imperatorem fuiſſe elatum, & nomine Federici appellatum. Is Violantam, à Corio Iſabellam vocatam, Hieroſolymæ Reginam in vxorem duxit, & ideò, vt Æmilius refert, Siciliæ Reges Titulum etiam Regis Hieroſolymæ ſibi arrogârunt. At recenſet Faſellus, Ioañem Hieroſolymarum Regem anno 1222. filiam Violantam Federico Imperatori in matrimoniū collocâſſe, tradito cū filia titulo Regis Hieroſolymę tum ipſi, tum ſucceſſoribus

tibus cunctis, qui Siciliæ regnum capeſſerent. Tunc tamen, & Ciuitas, & Regnum Hieroſolymæ totum penè in Saracenorum manus deciderat, nec multò poſt, corruit, id quod reliquum erat. Federicus autem teſtamento Neapolitanum Regnum Conrado filio, Siculum, cum Hieroſolymæ titulo Henrico reliquit. Hæres vtriuſque Conradinus extitit; ſed Manfredus eorum frater Nothus ſpecie pietatis, & tutelæ vtraq; Regna occupauit; donec Carolus Andagauenſis feudali iure accepto à Pontifice, Manfredum primò, Conradinum deindè fudit, &, internecione vtroq; deleto, ditionum illarum dominio præfuit. Sed ad Siculi Veſperis concentum Petrus Arragonenſis Conſtantiæ filiæ Manfredi vir anno 1282. Siciliæ Regnum eſt adeptus: Quocirca etiam à Pontifice excommunicationis ſententia damnatus; Corona Regnorum Siciliæ, & Hieroſolymæ poſt obitum Caroli primi anno 1289. Carolo Secundo Claudo filio à Nicolao Quarto impoſita. Verùm anno 1380. cum Ioanna prima Neapolis Regina, Vrbano Sexto mulier inuiſa, nupſiſſet Othoni Duci Branſuicenſi, Pontifex Neapolitani, & Hieroſolymitani Regni corona Carolum Dyrachienſem, ſolum è Caroli primi Regis ſtemmate ſuperſtitem, Romæ præcinxit; Maria tunc Federici Tertij filia Sicilię Regnum per Gregorij Secundi ſententiam obtinente. Quare ſi coronatio prophanum dominium, aut ius aliquod eminens indicat, cum Hieroſolymæ Regnum Siciliæ Regno, Eccleſiaſtico feudo, fuerit annexum, Pontifex dum Carolum Claudum eo redimiuit diademate, non fruſtra elaboraſſe viſus eſt. Cum autem ab hac vnione, & coronatione Hieroſolymæ Regnum ad Romanæ ſedis dominatum peruenerit, idcircò Vrbanus Papa, eo ab Sicilię ſeiuncto, Hieroſolymę, & vnà Neapolis Coronam Carolo Tertio impoſuit.

CAPVT

CAPVT XXIII.

De iure, & actione, quam in Hungariæ Regnum Pontifices habent.

SED cum infeudationes, & Coronationes hæ fuerint à Principibus impetratæ, quibus eas efflagitare curæ erat, nos in admirationem excitat id, quod Infeudationi Hungarici Regni inſertum eſt: dum illum, alterius officij ſpecie, ei conceſſam videmus, qui nec petebat, nec indigebat, nec ſe indigere exiſtimabat: Et tamen ex hoc Pontifices Hungariam ſibi ſubiectam eueniſſe iudicârũt. Vt autem in faciliorem rerum harum cognitionem prouehamur, ſciendum eſt; Teſcum, & Ghieſam eius filium, Sancti Stephani Patrem, Hungariæ Duces extitiſſe. Porrò, Ghieſæ ætate ingraueſcente, Hungari, vt eius obtemperarent voto, nõ Hungariæ Ducem, ſed Regem filium crearunt. Stephanus igitur quatuor poſt Patris obitum elapſis annis, ad Pontificem, vt Bonfinius recenſet, multarum rerum agẽdarum cauſa Aſtricum Epiſcopum Clorienſem anno 1001. Legatum miſit, & per eum, quoniam omnis poteſtas eſt à Deo, & magna conſilia, non niſi annuente Deo, felicem ſortiuntur exitum, pijs precibus expoſtulauit, vt ad ſe Regalia Inſignia, & Apoſtolica Benedictio indè proficiſcerentur. Eodem anno Miſca, ſeu Sacromiſca Poloniæ Dux vnà cum populo, nominibus Chriſto datis, eadem à Benedicto per ſuos Legatos petebat. Quare Pontifex Diadema magno elaboratum pretio parârat, quo Miſcam nuperrimè Chriſti fidem amplexatum ornaret. Hoc ferè momento Legatus Hungarus Romam peruenit: Quocirca Pontifex, viſione ſibi cœlitus infuſa, Cardinalium omnium conſilio Coronam Reg: Poloniæ deſtinatã, ad Regem Hun-

In Bonfinium rerum Vngaricarū dec. 2. lib. 1.

g[illegible]riæ decorandum tranſtulit. Et per Pontificem Stephanus Rex confirmatus fuit, & vt Hiſtorici verbis vtar; *Re ad Senatum relata, pro voluntate Regis, & Legati poſtulatione, nullo refragante, decernitur, vt non modo Chriſtianiſſimus Rex Regia Corona donetur, in Regno Apoſtolica auctoritate confirmetur, & Regis acta cuncta cum inſtitutis Epiſcopatibus approbentur; verum etiam, quia verus, & fidus Dei miles eſt, & Apoſtolus ad exaggerandam eius dignitatem in perpetuum Pontificiæ legationis inſigne, qua ſibi, poſteriſque Regibus ſemper fungi fas ſit perferendæ crucis poteſtate honeſtetur.* Itaque ſi quis á Pontifice Regijs Inſignijs, & Benedictione petitis Vaſallus, & prophano Eccleſiæ dominio ſubiectus euadit, non paruo ſupremi Regiminis iure per legationem ſuam, vt ex Diplomatibus Gregorij videre eſt, Stephanus Rex cecidit, & bene cum Miſca actum putârunt aliqui, quod ipſe petitionem eius fefellit, vt ex Polonorum habemus hiſtorijs. Hoc enim iacto fundamento non abs re quis exiſtimâſſet, Poloniam etiam in prophanum Eccleſiæ Romanæ dominatum vti feudale Regnum prolapſam fuiſſe. At ſi non aliud, nec alia de cauſa, quam Pietatis ergò, quidquam petitum fuit, niſi quædam, in ſpeciem, pia honoris exhibitio, Pontifex graui Regni Hungarici detrimento illud adiecit, quod non fuerat poſtulatum. Tria enim Gregorij diplomata, vel ſaltem trium particulæ in hanc ſententiam apud Steuchum reperiuntur, *Gregorius Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Dilecto filio Salomoni Regi Hungariæ ſalutem, &c. Sicut à maioribus patriæ tuæ cognoſcere potes, Regnum Hungariæ ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ proprium eſt, a Rege Stephano olim B. Petro cum omni iure, ac poteſtate ſua oblatum, & deuotè traditum. Præterea Henricus piæ memoriæ Imperator, Regnum illud expugnans, victoriam adeptus, ad corpus B. Petri lanceam, & coronam regis tranſmiſit, & pro gloria triumphi ſui*

Steuchus lib 2. c. 94.

phi ſui illuc direxit inſignia, quo principatum eius dignitatis attingere cognouit.

Idem Gregorius de eodem Regno ad Geſam Hungariæ Regem. *Notum verò tibi eſſe credimus Regnum Vngariæ, ſicut & alia nobiliſſima Regna in propriæ libertatis ſtatu eſſe debere, & nulli Regi alterius Regni ſubijci, niſi ſanctæ, & vniuerſali matri Eccleſiæ Romanæ, quæ ſubiectos habet non vt ſeruos, ſed vt filios. Quod quia conſanguineus tuus à Rege Theotonico, non à Romano Pontifice vſurpatione obtinuit: Dominium eius, vt credimus, Diuinum iudicium impediuit.* Et alibi ad eundem. *Verùm vbi correpto dominio nobili B. Petri Apoſtolorum Principis, cuius Regnum eſſe prudentiam tuam non latet, Rex ſubdidit ſe Theotonico Regi, & Regale nomen obtinuit. Dominus iniuriam ſuo illatam principi præuidens poteſtatem Regni ſuo ad te iudicio tranſtulit. Et ita conſanguineus tuus ſi quid in obtinendo Regno iuris priùs habuit, à ſacrilega vſurpatione priuauit Petrus, ſi à firma petra dicitur.*

Vt nobis Diplomatum horum cognitio lucidior occurrat, tenendum eſt, Stephano Rege ſine liberis è vita emiſſo, qui Henrici Secundi conſilio Chriſto nomen dederat, Petrum Stephani ex ſorore nepotem ad Regni gubernacula fuiſſe admotum. Illo autem ab Hungaris anno tertio eiecto fuit Aba in Regem electus, qui aliam Stephani ſororem duxerat in coniugem. Sed Petrus Henrici Tertij Imperatoris auxilio Abam profligauit ab Hungaris per tres totos annos in Regno conſeruatum, & defenſum, licet & in eum, & in ipſos excommunicationis fulmen Legatus Apoſtolicus exardeſcente bello conieciſſet. Hac igitur ratione Petrus fuit Regno reſtitutus. Poſtero

Digitized by Google

anno Petrus magnis honoris argumentis, & ſingularis obſequij ſignificationibus Henricum in Hungariam progreſſum excepit. Sed poſt quinq; annorum ſpacium Hungari ad Regnum vocârunt Andream, & Leuentam exules Ladislai Calui filios, à quibus concedebatur, vt ad Idolorum cultum Hungaria reuerteretur, veluti paſſim actitatum eſt; Quamuis Andreas, vt primùm eſt Regno potitus ad Chriſtianæ Religionis ſedem pedem retulit. At pronus iam in grauioris ætatis æuum Salomonem filium, ad quem Gregorius primum Diploma ſcribit, ſe mortuo, Regem Belam fratrem minoris prouinciæ Ducem inſtituit. At Bela his minimè contentus Hungariam armis Moſconi ſoceri Ducis Poloniæ inuaſit. Henricus Tertius Salomonis ſocer opitulatus eſt, Andreæ, qui collatis tamen ſignis, victus occidit. Cum dein Rex Bela è vita exceſſiſſet, Salomon eius Nepos Andreæ filius auxilio Henrici Quarti, cui Andreæ ſoror nupta erat, Regnum acquiſiuit, tribus & decem reuolutis annis, ex quo Gheuſa, ſeu Gheſa eius conſobrinus anno 1074. illud occupauerat. Huic autem Diplomata alia conſcripta ſunt. Primum igitur ad Salomonem vltimo Regni anno miſſum, innuit petitionem, Stephani ſancti nomine exhibitam, Benedicti conceſſionem, & rem ab Henrico Tertio Petri gratia geſtam. Alia duo de Salomone loquuntur Gheſæ conſobrino, qui ad Henricum Quartum pro regni recuperatione confugerat, & Henricum nomine tantùm Regis Germani appellant, quoniam tunc temporis ab eo Pontifice aqua; & igni erat interdictus. Ille enim eſt Henricus, quem inter, & Pontificem, tàm acerbæ perdurârunt diſſenſiones.

CAPVT

CAPVT XXIV.

De iure, & actione, quam Pontifices in Daciæ Regnum habent.

PRÆTER Regna hæc, ſunt & alia multa, in quibus Eccleſia ius ſibi competere, aut iactat, aut iactare poſſet, non quidem Infeudationibus collatis: harum enim nullum extat monumentum, ſed cenſu ex eis percepto. Huiuſmodi ſunt Dacia, Boemia, Luſitania, Anglia, Suetia, & fortaſſis etiam Noruegia, & Dania. Galliam non attingam, nec Hiſpaniam: De cenſu enim nihil in his. Aliqua tamen, & ipſæ ſolutione pietatem teſtantur. De Dacia verò nuda Steuchi verba extant, dum ait. *Regnum quoq; Daciæ, vt ſubiectum, & obnoxium Apoſtolicæ ſedi, quod apparet ex regiſtro Paſchalis, annuum vectigal perſoluit, Laterani datum edictum Epiſcopi Daciæ.* At cum horum nec tempus, nec cauſam afferat, quò res erumpat, neſcio. Steuchus lib. 2. c. 103.

CAPVT XXV.

De iure, & actione, quam Pontifices in Boemiæ Regnum habent.

DE Boemia autem planiùs verba facit: inquit enim, aliàs ex Lateranenſi Bibliotheca compertum fuiſſe, Spicciomenum Boemiæ Ducem à Nicolao Diadematis vſum impetrâſſe, Regno obſtricto ad cętum ſolutionem librarum argenti in cenſum, atq; ita ab ſede Apoſtolica Regem fuiſſe renuntiatum. Quæ tamen enarratio non omni difficultate mihi videtur carere. Si nos namque ad Boemicas hiſtorias conuertamur, Vratiſlaus inter Boemiæ Duces vigeſimus anno 1086. Moguntiam profectus, vbi conuentus celebrabatur, primus titulum Regis ab Hen-

Digitized by Google

ab Henrico Quarto Imperatore obtinuit; quod & in Bonfinio eſt videre. Sed quoniam, qui ſecuti ſunt non Regum, ſed Ducum titulum ſibi adſcripſerunt, ac ſi dignitas illa non in prouinciam, ſed in perſonam deriuâſſet, Vladiſlaus demùm ſibi, poſterisq; à Federico Enobardo Regium nomen impetrauit;quod vſq; perſeuerauit,ita vt titulus is non Pontificibus,ſed Cęſaribus acceptus referatur. Præterea repetita ſerie à Bentiuolio Duce Boemiæ X.qui annò 995.Baptiſmatis lauacro aſperſus Chriſtianam fidem primus amplexus eſt, vſq; ad hunc Vladiſlaum,qui SecundusBoemięRex extitit,nūſquam apparet, aliquem eius nominis Pontificatui præfuiſſe, præter Nicolaum Secundum, qui duos tantùm cum dimidio annos ſacro ſolio inſedit, Boemiam obtinente nō Spiccionemo,ſed Spidigneo XIX. Duce, cui frater ſucceſſit Vratiſlaus ille, cui Henricus Regium titulum eſt impartitus. Adde,neminem Ducum,Regumve Boemię hoc nomine reperiri. Arbitrarer equidem Spiccionemū eundem eſſe, qui Spidigneus, eumq; Regio titulo abſtinuiſſe ab Eccleſia, totius Regni ſubiectione impetrato, habita contentionum ratione, quæ fortè inter Imperatorem Henricum,& Apoſtolicam ſedem debacchabantur. Sed tūc temporis Henricus pubertatem vix agebat, & Imperium omne Agneſę Imperatricis matris,ſingulari pietate fœminæ,cura nitebatur,nec vllæ inter Cęſarē, & Eccleſiam diſcordiæ gliſcebant. Inſuper ſi Bonfinio fides eſt habenda,Spidigneus iſte non fuit Boemiæ Dux, aut certè, quamuis ita appellatus, non totam poſſedit. A patre enim pro virili parte Morauiam accepit, licet poſtea Boemiæ dimidium Vratiſlao fratri eripuerit, qui territus in Hungariam confugit, vbi Andreæ Regis ſorore in vxorem ducta, Spidigneus huius matrimonij metu cuncta ipſi reſtituit, quæ ademerat, in gratiamque

cum

cum eo rediјt. Mortuo autem Spidigneo, Vratiſlaus omnium conſenſu ad Boemię Ducatum fuit admotus, qui Morauiam inter fratres partitus eſt. Super his tamen ſanior imperet ſententia, & Eccleſiæ fauor, cui ſtudendum maximè in dubijs.

CAPVT XXVI.

De iure, & actione, quam Pontifices in Luſitaniæ Regnum habent.

EXCVSSA Boemica quæſtione, Luſitaniam in eadem eſſe naui opinamur, dum in hæc verba loquitur Steuchus; *Itemque Regnum Portugalliæ Eccleſiæ Romanæ eſt: Nam Hildefonſus cum prius eſſet Dux Portugalliæ, ſiue Luſitaniæ, quod à priſco tempore nouerat eſſe ſedis Apoſtolicæ obtulit ipſum, ſubiecit eidem, vectigalque conſtituit. Deinde ab Alexandro Tertio Rex appellatus eſt, duasq; auri marcas cenſum ſingulis annis perſoluit.* Steuchus lib. 2. ſ. 100.

Hic igitur Luſitaniæ Dux non ſecus, ac Boemiæ ſoluendi cenſus onus ſubiuit, vt titulum Regium conſequeretur. At Hiſtorici Hiſpani tradunt, Alphonſum, ſiue Hidelphonſum Luſitaniæ Comitem, cum in Mauros, collatis ſignis, irrupturus eſſet, ab exercitu anno 1137. die 25. Iulij, quæ Diuo Iacobo ſacra pugnæ præceſſit, Regem fuiſſe acclamatum: perindeque ingenti certamine victorem euaſiſſe: quam victoriam Luſitani monumento peręni ſignarunt. Eugenius dein anno 1145. ad Pontificatum aſſumptus Alphonſi Regis nomen, & authoritatem cõfirmauit. Cuius exemplo motus Alexander Tertius aliquot ab indè annis id ipſum Diplomate, per Albertum Demona Cardinalem, Eccleſiæ Cancellarium promulgato, corroborauit. Ab horum Põtificum vtroq;

certus

Digitized by Google

certus imperatus fuit cenſus, quotannis ſoluendus ab Eugenio libræ auri quatuor, ab Alexandro libra vna; vnciæ quatuor, qui à ſuperioribus ſæculis ſolutus fuerit, necne, ambigitur. Sed noſtra, & maiorum noſtrorum ætate, regnum illud omni penitus onere ſemper immune exiſtimatum fuit. Hæc Mariana.

CAPVT XXVII.

De iure, & actione, quam Pontifices in Angliæ Regnum habent.

SED in Anglia Romani Pontifices viſi ſunt multò potiora iura, actionesq; longè validiores habuiſſe, quas ordinatim deinceps ſingula percurremus. Anno igitur 740. Ina Rex Saxonum Occidentalium Angliæ Regnũ poſſidebat, Hîc, paulò ante Saxonum Auſtralium, Imperio perdomito, ad pietatem, religionemq; omne ſtudium, curamq; conuertens aliquot templa extruenda curauerat, Regnumq; Anglicum tandem Romano Pontifici ſubiecit, ſimul edicens, vt vnaquæque familia certam pecuniam, denarium tunc appellatam, Eccleſiæ cẽſus nomine in ſingulos annos perſolueret. Annò autem 775. Offa Rex Saxonum Mediterraneorum eiuſdem Regis veſtigia perſequutus eſt, cum eo tempore ſub ſeptem Regibus Anglo Saxonum dominatui Anglici populi obtemperarent.

Aliqui referunt, cenſum hunc ab Rege Aſtulpho, dũ in tota fermè Inſula dominaretur, incrementum accepiſſe. Sed temporibus recentioribus Anglia vniuerſa pietatis, & religionis ergo cenſum hunc Romano Pontifici erogabat, quæ pecunia communi vocabulo Denarius Sancti Petri vocabatur, & à Pontificis Collectore exigebatur, de quo vt in Angliam primò appulit, ſcribit Polydorus Virgilius, & res vſq; ad annum 1534. continuata

eſt.

eſt,quo Henricus VIII. ſeipſum ab Eccleſia auulſit. Sed id ſtipis Eleemoſynæve, ſeu oblationis nomine potiùs, quàm cenſus progredi æquum videtur. Et ad hoc fortaſſis Alexandrum Secundum reſpexiſſe credendum eſt in Diplomatibus ad Gulielmum ſecundum Angliæ Regem datis, quæ ex illius Pontificis Autographis deſumpta Steuchus ad Conſtantini donationem comprobandam affert, & his planè ſunt conſcripta verbis, *Alexander Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Dilecto filio Gulielmo Regi Anglorum ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Nouit prudentia tua Anglorum Regnum ex quo nomen Chriſti ibi glorificatum eſt ſub Apoſtolorum Principis manu, & tutela extitiſſe, donec quædam membra mali capitis effecti, zelantes ſuperbiam patris ſui Satanæ, pactum Dei abiecerunt, & Anglorum populum à via veritatis auerterunt.* Et paulò poſt. *Nam, vt benè noſti, Angli fideles erant, piæ deuotionis reſpectu, ac cognitione Religionis annualem penſionem Apoſtolicæ ſedi exhibebant, ex qua pars Romano Pontifici, pars Eccleſiæ Sanctæ Mariæ, quæ vocatur ſchola Anglorum in vſum fratrum deferebatur.* Et alibi. *In rebus verò Sancti Petri, quæ in Anglia colliguntur, ſic te, vt tuis inuigilare monemus, ſic liberalitati tuæ committimus, vt pium, ac propitium debitorem Petrum reperias, & eum tibi ex debito ſubuenire admoneas.* Aug. Steuchus in Laū. Vallam lib. 2. cap. 95.

Hæc à Steucho habemus, cætera, cum codex ille è manibus hominum euolauerit, nos fugiunt. Innoteſcat nobis tamen, Gulielmum, ad quem Pontifex ſcribit, eſſe Gulielmum Acquiſitorem, natione Normandum. Is anno 1067. poſt Anglos, & Angloſaſſones, Arnaldumque Regem, proceresq; omnes eorum horribili prælio fuſos, deletosq; qui ab anno 480. potiorem eius inſulæ partem armis comparatam ad illud vſque tempus poſſederant, Regnum illud ad poſteros tranſmiſit, quorum genus, licet aliquando fœmineo tantùm florente ſexu, ad nos

vſque perdurauit. Non video tamen, qui Steuchus ex his Diplomatibus colligat, Angliam donatione Conſtantini ad Eccleſiæ ditionem perueniſſe, dum Pontifex ipſe aſſerit, eam ſub Diui Petri tutela commemoratam eſſe, ex quo Religionem Chriſtianam eſt amplexa: quod poſt Conſtantini mortem eueniſſe idem Steuchus affirmat. Non ergo tunc, ſed multò poſt in Diui Petri tutelam eſt admiſſa: quæ tutela nil forſitan eſt aliud, niſi animarum cura, quam Romana Eccleſia cunctis in Regnis tenetur omnium eorum gerere, qui Chriſti ſequi profitentur Euangelium. At iuris vinculum longè maius Henrici Secundi temporibus ortum eſt. Diſſenſiones quædam Regem, & Thomam Conturbienſem Archiepiſcopum, (poſtmodum Sanctorum numero adſcriptum) alterum in alterum irritabant, eo quod Rex ipſe redditus aliquos Eccleſiaſticos, cui liberet non erubeſceret elargiri. Quæ inualuere adeò, vt demum Archiepiſcopus in exilium actus in Galliam ad Alexandrum Tertium Pontificem, qui tunc Senſi commorabatur confugerit; ad quem Rex etiam ſui iuris tuendi gratia Legatos miſit. At, cum voti compotem ſe non euaſurum ſperaret, in iram inflammatus bona omnia Archiepiſcopi proſcripſit.

Sed poſt temporis aliquod, ſeptendecim Henrico filio, quem genuerat primum, agente annos, ſibi eum cõſortem Regni adſciſcere decreuit, curauitq; vt Archiepiſcopus Eboracenſis, quandoquidem Conturbienſis exul erat, ei Londini Regium imponeret Diadema. Conturbienſis apud Pontificem conqueſtus eſt, quod authoritate ab ipſo non impetrata, aliquis Coronationis munere functus eſſet. Quare Pontifex Eboracenſem, aliosque Epiſcopos eius conſilij complices, ſacris interdixit: Quod Regis indignationem in Conturbien-

turbienſem immane quantùm excitauit. Sex tamen poſt elapſos annos, Pontifice per nuncios, & per litteras rigidis admonitionibus aſperas id efflagitante, illum in gratiam recepit. Verùm cum Rex hac reconciliatione non admodum lætaretur, perpetuoque ab Eboracenſi, atque ab alijs interdictis calumniæ in Conturbienſem agglomerarentur, eouſque ſemel in iram exarſit, vt animum exſoluerit in hæc verba. Me miſerum? Clericus igitur vnus mihi in meo Regno quietem eripit, nec meorum quiſquam reperitur, qui hanc mihi moleſtiam eximat? Voces hæ, vt multorum perculſerunt aures, opinionem euulgârunt, Conturbienſis necem Regi ſolatio fore. Quare aulicorum tres, dum Rex in Normandia commoraretur, in Angliam aduecti Archiepiſcopum Conturbiæ interfecerunt. At Rex nuncio grauiter eſt commotus, Legatosque Romam miſit, qui læthi crimen, quod ipſi inurebatur, amouerent: qui veniam peterent verborum, vnde necis origo, culpa in iram collata; qui Pontificem rogarent, vt certos mitteret, qui tanti ſceleris cauſas, authoresque indagarent, & ſcripto reciperent, pœnarum ſumendarum ergò. Pontifex igitur anno 1172. binos eò legauit Cardinales, qui rerum certiores facti ſententiam tulerunt, vt Rex coram ipſis, & Regni primatibus iureiurãdo ſe delicto purgaret; Pœnam lueret ſaltem ob anſam ſuſpicioni porrectam, viuẽti Archiepiſcopo honore merito nõ exhibito. Ducentos equites in bellũ Hieroſolymam, qui per añum ibi pugnarẽt, mitteret, ipſemet eò, priuſquã tres efflueẽrt anni, cũ exercitu tẽderet niſi Põtifici ſecus videretur; Corruptelas tolleret, quę libertati Eccleſiaſticę aduerſarentur; Ius Romã à ſentẽtijs prouocandi ꝑmitteret. His, inquit Blondus, Regẽ iuramẽto vltro adiecîſſe, ſe, filiũq; Regni participẽ, Põtifice Alexan-

vſque perdurauit. Non video tamen, quî Steuchus ex his Diplomatibus colligat, Angliam donatione Conſtantini ad Eccleſiæ ditionem perueniſſe, dum Pontifex ipſe aſſerit, eam ſub Diui Petri tutela commemoratam eſſe, ex quo Religionem Chriſtianam eſt amplexa: quod poſt Conſtantini mortem eueniſſe idem Steuchus affirmat. Non ergo tunc, ſed multò poſt in Diui Petri tutelam eſt admiſſa: quæ tutela nil forſitan eſt aliud, niſi animarum cura, quam Romana Eccleſia cunctis in Regnis tenetur omnium eorum gerere, qui Chriſti ſequi profitentur Euangelium. At iuris vinculum longè maius Henrici Secundi temporibus ortum eſt. Diſſenſiones quædam Regem, & Thomam Conturbienſem Archiepiſcopum, (poſtmodum Sanctorum numero adſcriptum) alterum in alterum irritabant, eo quod Rex ipſe redditus aliquos Eccleſiaſticos, cui liberet non erubeſceret elargiri. Quæ inualuere adeò, vt demum Archiepiſcopus in exilium actus in Galliam ad Alexandrum Tertium Pontificem, qui tunc Senſi commorabatur confugerit; ad quem Rex etiam ſui iuris tuendi gratia Legatos miſit. At, cum voti compotem ſe non euaſurum ſperaret, in iram inflammatus bona omnia Archiepiſcopi proſcripſit.

Sed poſt temporis aliquod, ſeptendecim Henrico filio, quem genuerat primum, agente annos, ſibi eum cōſortem Regni adſciſcere decreuit, curauitq́; vt Archiepiſcopus Eboracenſis, quandoquidem Conturbienſis exul erat, ei Londini Regium imponeret Diadema. Conturbienſis apud Pontificem conqueſtus eſt, quod, authoritate ab ipſo non impetrata, aliquis Coronationis munere functus eſſet. Quare Pontifex Eboracenſem, aliosque Epiſcopos eius conſilij complices, ſacris interdixit: Quod Regis indignationem in Conturbien-

turbienſem immane quantùm excitauit. Sex tamen poſt elapſos annos, Pontifice per nuncios, & per litteras rigidis admonitionibus aſperas id efflagitante, illum in gratiam recepit. Verùm cum Rex hac reconciliatione non admodum lætaretur, perpetuoque ab Eboracenſi, atque ab alijs interdictis calumniæ in Conturbienſem agglomerarentur, eouſque ſemel in iram exarſit, vt animum exſoluerit in hæc verba. Me miſerum? Clericus igitur vnus mihi in meo Regno quietem eripit, nec meorum quiſquam reperitur, qui hanc mihi moleſtiam eximat? Voces hæ, vt multorum perculſerunt aures, opinionem euulgârunt, Conturbienſis necem Regi ſolatio fore. Quare aulicorum tres, dum Rex in Normandia commoraretur, in Angliam aduecti Archiepiſcopum Conturbiæ interfecerunt. At Rex nuncio grauiter eſt commotus, Legatosque Romam miſit, qui læthi crimen, quod ipſi inurebatur, amouerent: qui veniam peterent verborum, vnde necis origo, culpa in iram collata; qui Pontificem rogarent, vt certos mitteret, qui tanti ſceleris cauſas, authoresque indagarent, & ſcripto reciperent, pœnarum ſumendarum ergò. Pontifex igitur anno 1172. binos eò legauit Cardinales, qui rerum certiores facti ſententiam tulerunt, vt Rex coram ipſis, & Regni primatibus iureiurãdo ſe delicto purgaret; Pœnam lueret ſaltem ob anſam ſuſpicioni porrectam, viuẽti Archiepiſcopo honore merito nõ exhibito. Ducentos equites in bellũ Hieroſolymam, qui per añum ibi pugnarẽt, mitteret, ipſemet eò, priuſquã tres efflueẽt anni, cũ exercitu tẽderet niſi Põtifici ſecus videretur; Corruptelas tolleret, quę libertati Eccleſiaſticę aduerſarentur; Ius Romã à ſentẽtijs prouocandi pmitteret. His, inquit Blondus, Regẽ iuramẽto vltro adiecuſſe, ſe, filiũq; Regni participẽ, Põtifice Alexan-

 dro

dro permittente, in Regno eſſe; & neminem inpoſterum Angliæ Regem futurum, quem non Pontifex Romanus nominâſſet. Et addit Platina, conſuetudinem hinc viguiſſe, vt Reges Angliæ omnes à Pontificis manu Regni iura accepiſſe ſint profeſſi. Cæterum Paulus Æmilius ſubmiſſionis huius non meminit: Et Polydorus Virgilius, poſteaquam attigit, eſſe ſcriptores aliquos, qui Iuramentum illud obſequij referant, adijcit, in Annalibus Angliæ nullam de hoc mentionem fieri, nec horum quidquam à Regibus, qui ſecuti ſunt, præſtitum. Poſterioribus deinde annis ſimile quiddam contigit, ex quo profecta eſt occaſio, vt Regnum illud iterum Eccleſiæ Romanæ ſubijceretur. Innocentio Tertio ſimultas intercedebat cum Ioanne Henrici filio, qui Ricardo fratri in Regno ſucceſſerat, cauſa etiam ex Archiepiſcopatu Cantubrienſi orta. Nam cum Monachi illi Archiepiſcopum ſibi primò elegiſſent, deinde hoc expoliato, alium ad Regis nutum renuntiâſſent, Pontifex, vtraque electione eliſa, mandauit monachis aliquibus Anglis, qui tunc Romæ agebant, vt Sancti Griſogoni Cardinalem Anglum in Archiepiſcopum eligerent. Quare indignatus Rex monachorum bona proſcripſit, qui Pontifici morem geſſerant, & eos perduellionis reos declarauit, qui ſe Romam contulerant. Pontifex itaq; Regem erroris admonuit primò, deindè ipſum, populumq; aqua, & igni interdixit. Idcircò Rex bona Eccleſiaſtica inuaſit, ſibiq; iterum populorum fidem iureiurando obſtringi curauit. Pontifex ad Regem legatos miſit, vt Eccleſiam Angliæ nutantem, ne collabeſceret, ſuſtineret: ſed nil agi potuit ob Regis pertinaciam damna hominibus Eccleſiaſticis illata reſarcire recuſantis. Quare Pontifex ſubiectos ab fide iurata abſoluit: Regi Regnum abrogauit: Chriſtianos Principes adhortatus eſt, vt eum armis adori-

adorirentur, vti publicum Dei hoſtem, & id maximè per legatos Philippo Secundo Galliarum Regi perſuadere ſtuduit: quod multarum rerum in Anglia innouandarũ principium, & fomes extitit. Interea Philippus exercitu comparato, bellum Anglis illaturus erat; ſed Nuntius Pontificius anno 1212. in Inſulam iterum traijcere, Regiſq; animum tentare conſtituit. Rex ſtatum rerum, periculumq; perpendens ſeſe in Pontificis ſinum proiecit. Blondus, & Platina referunt, Ioannem Galliarum Regis metu Angliam, & Irlandam Eccleſiæ dominio ſubſtrauiſſe, vtraq; obſtricta ad cenſum annuum cẽtum marcatum, quæ fuerunt aliquoties erogatæ. Paulus Æmilius recenſet, quod Rex inſigni veneratione Pontificium Legatum excepit; Ad eius pedes ornamenta Regalia depoſuit; ſeipſum Regno abdicauit, priuati hominis inſtar, & à rerum adminiſtratione amoti per quinq; totos dies in hoc ſquallore perſeuerauit, quò denique negotium vergeret inſcius. Sexta demum luce Regnum, à quo ſe penitus deturbatum putârat, à Legato recepit, & Regijs ſplẽdidus inſignibus Angliam, & Irlandam, vti Feudum ſubiecit Romanæ Eccleſiæ. Et Archiepiſcopum agnouit, & magna excepit obſeruantia. Ab his eum Legatus monuit, vt quæcunq; ſeptem annorum ſpatio à ſacerdotum fortunis extorſiſſet, reſtitueret. At Polydorus Virgilius recenſet, Ioannem ab imperatis, quæ Roma venerant, nil recedendo, ſibi è vertice Coronam ademiſſe, & Legati manibus credidiſſe, quam nec ipſa, nec hæredes niſi à Romano Pontifice eſſent accepturi, Dein promiſiſſe, ſe Conturbienſem Archiepiſcopum Romæ electũ, præſulesq; omnes, qui receſſerant, benignè amplexurum, & damnis illatis ſolamen adhibiturum: quibus peractis, Legatum loco Pontificis, Regium ei Diadema reſtituiſſe. Et his Author ſubijcit; *Ex quo fama eſt, Ioannem* Poly. Virg Hiſt. Ang. lib. 15.

X 3 *cupien-*

cupientem perpetuare memoriam muneris accepti,ea lege feciſſe ſe Innocentij beneficiariũ,vt Reges deinceps à Pontificio dumtaxat Romano iura Regni conſequerentur. Cæterum has reconciliationis leges,qui ſecuti ſunt Reges minimè ſeruârunt,neque Annales Anglici de eiuſmodi deditione loquuntur; Quare illa omnia Ioanni tantummodo,qui deliquiſſet,imperata,non item ſucceſſoribus ſubeunda fuiſſe,ſatis conſtat.

Hactenus Polydorus. In tanta igitur Scriptorum diſcrepantia, niſi veritas aliundè magis effulgeat, cuique, quod libet,licet opinari.

CAPVT XXVIII.

De iure,& actione,quam Pontifices in Suetia,& Noruegiæ Regnum habent.

Steuchus lib 2.c. 910.

PECVNIA, quæ à priuatis hominibus in Anglia exigebatur, eadem ratione in Suetia, & in Noruegia videtur exigi ſolita: dum Steuchus inquit: *Suetia quoque, & Noruegia,vt ſubiectæ ſoluunt Romanæ Eccleſiæ vectigal, quod in antiquis ſummorum Pontificum monumentis, & in antiqua Lateranenſi Bibliotheca conſpicitur. Omnes enim Domus Suetiæ ſoluunt cenſum Apoſtolicæ ſedi ſingulos denarios.*

De Noruegia tamen non eadem penitus recenſet: Quod ſi idem foret,idem etiam quod in Anglia haberetur,eſſe quippe Denarium Sancti Petri.Sed ex Suetiæ,& Noruegiæ Hiſtorijs,in quas hactenus incidi,nulla mihi horum occurrit mentio.

(?)

CAPVT XXIX.

De iure, & actione, quam in Dania Regnum Pontifices habent.

VERVM fortaſſe excogitari poteſt, Daniam conſueuiſſe Romanæ Eccleſiæ quæſtoribus tributum ſoluere, cum tributi vocabulum attributum aliquando fuerit ſolutionibus, quibus multò minus debebatur, quàm ijs, quę in Dania fiebant: quemadmodum illo Iouius vtitur, dum ait, Baiazetem Turcarum dominũ Alexandro VI. Pontifici tributum ſoluiſſe, occaſione Gemæ fratris; ꝙ nihil erat aliud, niſi pecuniarum ſum̃a, quam ſingulis annis Turcarum Imperator Põtifici erogabat, vt ſumptibus ſatisfaceret, quos Pontifex in alendo fratre impendebat, ſeu potiùs vt Pontifex tot pecuniarum dulcedine irretitus fratri abſceſſum negaret. De Dania verò huiuſmodi Diplomatis pars ab Alexandro Tertio editi apud Steuchũ exiſtit. *Alexander Tertius, &c. Sueno Regi Danorũ, &c. Quapropter prudentiam tuam monemus, vt cenſum Regni tui, quem anteceſſores tui ſanctæ Apoſtolicæ Eccleſiæ perſoluere ſoliti ſunt, nobis, & ſucceſſoribus noſtris tranſmittere ſtudeas: ita tamen, vt non ſicut oblatio ſuper altare ponatur, ſed vt ſupra diximus tàm nobis, quàm ſucceſſoribus noſtris, vt certiùs approbetur, præſentialiter offeratur.* Steuchus.

Hîc animaduertendum eſt nomine erratum eſſe: Danorũ enim Regum nullus vnquàm Suegus, ſed Suenus, ſeu Sueno fuit appellatus. Tertius namque Sueno ad Federici Enobardi aulam ſub ipſo Imperij initio ſe cõtulit, & huius ad Regnum Nicolaus Cardinalis Albanus miſſus à Pontifice fuit, vt in Noruegia ſedem Archiepiſcopalem cõſtitueret. Vnde Romam reuerſus Pontificatus gradũ conſcendit in Hadriani Quarti nomine cõuerſo,

& ei

& ei Tertius Alexander ſucceſſit. Sed nec apparet apud hiſtoricos, quando cenſus hic inſtitutus, nec ſi quando ſolutus fuerit. Legere eſt tantùm, Henricum primum Daniæ Regem, qui Chriſtianos immaniter vexârat, Fidei Apoſtolicæ lumine colluſtratum, at Canutum eius filium, ſucceſſoremq; ſemper Idolorum extitiſſe municipium: quo regnante, Chriſtiana fides anno 860. latiùs in Dania, & Suetia cœpit peruagari. Troton deindè hæres, filiuſq; Canuti, Britanniæ partem occupauit, vbi Chriſto nomen dedit, & cum Romam miſiſſet, concionatoribus inde euocatis, diem obijt. Huic Germondus filius ſucceſſit, cuius in Regno Catholica fides in dies robore firmior protendebatur: at Danorum plurimi Chriſtianos è Regno ferociter expellebant. Non conſtat, an Rex ille, & Araldus filius, qui circiter annum 888. Religione Catholica tunc ibi plurimum inualeſcente, dominatus eſt, Chriſtianam fidem ſint profeſſi. Sed non latet, Germondum Araldi filium ſe atrociſſimum hoſtem in Religionem geſſiſſe. Ab hoc natus Araldus Rex, dum bellum ageretur, Ottoni primo, ſe cum Suenone filio ad Chriſtianam pietatem animum applicuiſſe ſignificauit: ideoq; ab Imperatore ipſo ad ſacrum Baptiſmatis aſpergimen elatus fuit, Danis mutationē hanc grauiter ferentibus. At Suenon ad Regnum admotus, Religionis veritate, qua ſemel fuerat imbutus, repudiata, Danos per ſæuiſſimæ impietatis deuia abripuit. Ter ideò in hoſtium manus incidit: ter auri pondere, quanto ipſe pendebat, argenti maiore duplo, redemptus. E Regno poſtmodùm eiectus rurſum ad Catholicam fidem redijt, & ſceptro iterum recepto, Religionem ibi, miraculo ob omnium oculos cœlitus edito, conſpexit ſummopere augeri. Ab hoc tempore forſan cenſus ille duxit exordium, Regi huic anno circiter 1000. Canutus filius

ſucceſſit,

ſucceſſit, pater Suenonis Secundi, ex quo ſunt quinque geniti Reges, alter alteri ſucceſſor. Primò Canutus, qui fruſtra multam operam dedit, vt Regnum illud decimam fructuum partem Eccleſijs elargiretur. At poſt aliquod temporis coniuratione in ipſum, ſeu potius defectione ab ipſo concitata, pœnam à flagitioſis ſumpturus, Danis obtulit, vt vel ſe ipſos grauiſſima pecuniarum ſumma multarent, vel decimam fructuum partem Eccleſijs conferre non renuerent. At reſponderunt Dani, ſe quamlibet rerum ſuarum malle iacturam pati, quàm iugum poſteris inferre perpetuum, quippè dedecus, non pietatem exiſtimabant proprios redditus alteri ſoluere. Regum fratrum alius fuit Henricus auus Suenonis tertij, ad quem Pontifex ſcribit. Ex huius enarrationis ſerie coniectare licet, quo tempore, & quam difficili labore Catholica fides in Daniam fuerit inuecta, & quid gens illa ſenſerit de perpetuis cenſibus Eccleſiæ ſoluendis: Ex quo illud feratur iudicium, quod rectius videtur, donec in lucem res clarior prodeat.

CAPVT XXX.

De iure, & actione, quam Pontifices in Galliarum Regnum habent.

SED ſi Regna hæc, de quorum tamen Infeudatione, aut cenſu non omnia monumenta abolita ſunt, Eccleſiæ dominio ſubiecta eſſe non penitus conſtat; multò magis de Gallia, & Hiſpania dubitandum eſt, quarum nec cenſus, nec infeudatio vlla vſquam apparet. De Gallia enim nil mihi, præter Steuchi dictum, in animum venit, dum cenſus quoſdam fuiſſe aliquando ſolutos, innuit his verbis: *Cumque Eccleſia nuncuparetur* *Steuchus.*

Regina Hiſpanorum, & Gallorum, ſolutis penſionibus B. Petro, nonne confitebantur ſe illud ſoluere Reginæ, ac Dominæ, colentes Chriſtum, non ſecus, ac Magi, muneribus oblatis. Ex his tamen ius aliquod Eccleſiæ cenſum exigendi non videtur rectè elici. Quod ſi quis illud ſpontaneam oblationem, ſiue, vt aiunt, Clericalem Decimam fuiſſe aſſereret, non id probaretur, quod contenditur: Bonifacium VIII. tamen id ſibi iuris competere affirmaſſe reperio; Monito enim per Epiſcopum Apamienſem Philippo Pulchro, vt ad ſacrum Paleſtinæ bellum traijceret, & non perſuaſo, Epiſcopus eum Anathemate ſe perculſurum, & Regno priuaturum minitatus eſt; Quarum minarum iactantia Rex ipſum in carcerem detrudi iuſſit. Pontifex Archidiaconum Narbonenſem miſit, qui Epiſcopum in libertatem aſſeri peteret. At cum ſe Rex difficilem præberet, Pontifex indignatus in medium tulit, ad Eccleſiam Romanam Galliarum Regnum pertinere; Regem increpauit admonitum, vt à Regio munere abſtineret, & Pontifici redderet, quidquid in eo Regno poſſidebat: Præſules, Satrapas, Nobilitatem omnem iureiurando, quo ſe Regi obtemperaturos obſtrinxerant, exemit, iuſſis euulgatis, vt ocyus Pontificis pedibus aduoluerentur, & donis omnibus interdictis, quæ Pontifices Regno aliquando conceſſiſſent, donec iterum confirmarentur. Quapropter Epiſcopo in libertatem emiſſo, Rex imperauit, ne ſubiectorum quiſpiam, ſe inſcio, Romam contenderet, nec cuiuſuis generis pecuniam mitteret. Paulus Æmilius ſcribit Pontificem per Archidiaconum ad Regem Diploma dediſſe, cui erat inſertum id, quod omnes in admirationem rapiebat, Regem teneri honorem, & reuerentiam ſibi exhibere, non tantum vti Romano Pontifici, & animarum parenti, ſed vti etiam ex prophano iure ſupremo Galliarum Principi, & domino,

Extat

Extat adhuc Diploma, cuius hoc eſt initium, Bonifacius Octauus, &c. Philippo Gallorum Regi, &c. Time Deum, &c. Quibus reſpondit Philippus, ſi tamen fraus litteris non ineſt, ſe nemini, quâ prophanum patet imperium, ſubiectum eſſe. At tandem lis diremta fuit, Pontifici Ananiæ ab hoſtibus capto: qui, libertate conceſſa, vitam haud multo poſt cum morte commutauit. Benedictus Secundus eum eſt inſequutus, qui Galliarum Regem penitus in priſtinum extulit. Ex his colligitur, Pontifices ſupremi Galliarum dominij cupiditate non abhorruiſſe, cauſa tamen, qua id iuris ſibi prorſus competere exiſtimant, colligi non omnino poteſt.

CAPVT XXXI.

De iure, & actione, quam Pontifices in Hiſpaniarum Regnum habent.

ID ipſum, quod de Gallia poteſt, & de Hiſpania affirmari. Nam prçter id, quod à Steucho ſuperiùs allatum aduerſus Vallam vidimus, is & Diplomatis partem ex eiuſdem Gregorij VII. Codicis *libro primo*, excerpta affert, quæ ſic ſe habet, *Regibus, ac Principibus Hiſpaniæ Vos ſcitis, quod antiquitus Regnum Hiſpaniæ eſt Romanæ Eccleſiæ.* Steuchus. Et alibi. *Notum fieri vobis volumus, quod nobis quidem tacere non eſt liberum, vobis autem ad præſentem, & futuram gloriam valdè neceſſarium, videlicet Regnum Hiſpaniæ ex antiquis conſtitutionibus B. Petro, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ in ius, & proprietatem traditum eſſe. Quod nimirum hactenus, & præteritorum ipſorum incommoda, & anteceſſorum noſtrorum tacuit negligentia. Nam poſtquam Regnum illud à Saracenis peruaſum eſt, & ſeruitium, quod B. Petro indè ſolebat fieri, propter infidelitatem eorum, & tyrannidem detentum ab vſu noſtrorum tot annis interceptum eſt, pariter etiam rerum, & pro-*

prietatis memoria delabi cœpit. Verùm quia diuina clementia conceſſa vobis in hoſtes illos, ſemperque concedenda, terram in manus veſtras tradidit, vlterius vos cauſam hanc ignorare noluimus, ne quod ſupernus arbiter, legum, ac iuſtitiæ conditor de recuperanda iuſtitia, & honore Sancti Petri, eiuſque ſanctæ, & Apoſtolicæ ſedis gloria noſtræ humilitati ad benemerendum contulit, nobis, aut vobis ex taciturnitate in negligentiæ culpam, aut vobis ex ignorantia, quod abſit ad detrimentum propoſitæ, & diuinitus oblatæ retributionis obueniat.

Hæc ipſa Pontificij Diplomatis ſunt verba. At in Hiſpanicis Hiſtorijs legere eſt, Henricum Secundum Imperatorem anno 1055. in medium attuliſſe Hiſpaniam Romano Imperio ſubiectam eſſe, & per Legatos ſuos apud Victorem Secundum fuiſſe conqueſtum, quod Ferdinandus Lionis, & Caſtilliæ Rex ſe ab Imperio ſeiunctum iactitaret, & Imperatorium titulum ſibi arrogaret. Negotium fuit Romæ agitatum, & à Pontifice ſententia promulgata, Cæſaris petitionem æquam eſſe. Quare per Legatos nomine Pontificis, & Cardinalium Ferdinandus factus eſt certior, ſe teneri Cæſaris poſtulatis non abnuere, nomenque Imperatorium, quod nec lege, nec conſuetudine, nec ratione ſibi adiecerat, dimitteret: ni protinus pergeret, ſacra Romanæ ſedis arma experturum. Rex poſt multa inita conſilia Pontifici ſignificauit, vt viros mitteret, quorum iudicio iura diſcuterentur. Quare Legatis ideò à Pontifice miſſis, & acta Toleti cauſa, iudicatum fuit, Germanis Imperatoribus in Hiſpaniæ Reges nullum competere ius. His Mariana è Societate Ieſu ſacerdos hæc verba ſubijcit; *Romani præterea Pontifices Hiſpaniam ſibi vectigalem reddere cogitârunt; vt argumento ſunt litteræ Gregorij VII. ad Reges, Comites, cæteroſque Principes Hiſpaniæ, id confirmantis antiquis temporibus obſeruatum, priuſquam à Mauris Hiſpania eſſet euerſa. Verùm ijs*

Io. Mariana de rebus Hiſpanu lib. 9 c. 5.

rùm ijs conatibus nihil eſſe profectum, ac verò pari animorum conſtantia obuiam itum, rerum euentus declarat, retenta ſemper à noſtris immunitate.

Cum igitur hinc in Gregorij, & Alexandri Diplomatibus plurima extent, quæ prophanum Eccleſiæ dominium in omnia pene Chriſtiani orbis Regna arguunt, quibus forſan aduerſari non licet homini priuato; indè Reges, qui Dominatibus ijs inſiſtunt, & hactenus inſtiterunt, non illud prorſus licet Chriſtianiſſimi, & Catholici ſint, quod Vaſallos, & feudatarios decet, obſequium ſacræ Romanæ ſedi exhibeant, temeritatis eſſet, ſuam hic ſtatuere ſententiam, aut iura partium tueri. Quapropter cum ab initio nobis propoſuerimus argumenta tantum colligere, quibus Romana Eccleſia ditiones aliquas poſſidet, in aliquas actio ei competit, ſcopum præcipuorum Hiſtoricorum ductu attigimus: extrema igitur manus operi ſit impoſita.



TRACTATVS
DE
POTESTATE
PAPÆ.
CAPVT I.

iste gallus male cantat

QVONIAM aliquandiu ſenſi, quod propter librum peſtiferum Antonij Sanctaπuelli Ieſuitæ, virgulâ cenſoria & quidem iure merito notatum, homines quidam factioſi, huius Coronæ inimici capitales, inter nos neſcio quas opiniones de Authoritate Papæ ſummo cum præiudicio & detrimento Regis noſtri & Regni Galliç occultè introducere & ſpargere ſunt conati; neceſſarium eſſe iudicaui, reſiſtere vanis conatibus huius Cabalæ & ad oculum demonſtrare Gallis initium & progreſſum magnæ huius Poteſtatis; ſimul etiam exhibere & oſtendere priuilegia & immunitates Eccleſiæ Gallicanæ & quales prerogatiuas nos habemus præ omnibus ſtatibus Chriſtianiſmi: Expreſsè vero hîc proteſtor me non cupere hîc quicquam derogare dignitati & authoritati Papæ ſummi Eccleſiæ Pontificis, cui ego, vt bonum Catholicum decet, omnem honorem & obedientiam defero & promitto.

Primo:

Primo: Verum eſt (& nemo etiam hoc in dubium vocare poteſt) quod nos Papam pro ſummo Eccleſiæ capite recognoſcimus, vtpote, qui habet ſuperioritatem adiunctam & dignitati ſuæ incorporatam: Nam totius Chriſtianiſmi intereſt habere caput vniuerſale, ad quod in genere deuoluatur omne, quod concernit generalem Eccleſię conſeruationem: Nam ſi hoc non eſſet, quilibet Epiſcopus in ſua diœceſi introduceret farraginem propoſitionum & opinionum, quæ non tantùm ſibi eſſent è diametro contrariæ, verum etiam quæ tandem religionem noſtram ſubuerterent. Et quamuis nos credamus & recognoſcamus hunc primatum, propterea tamen nos non permiſimus, vt Papa ſibi in hoc ſtatu acquireret plus, quam vſq; ad tempus præſens habet & poſſidet. Nam cum etiam aliquando hoc conaretur, nos oppoſuimus immunitates Eccleſiæ noſtræ Gallicanæ, quæ ſunt conformes conſuetudini veteri Eccleſiæ, iuri Apoſtolico & Canonibus Conciliorum generalium & vniuerſalium; ita vt ipſi non fuerit permiſſum ad ſe trahere, niſi quod Ius Commune ipſi concedit. Nihilominus tamen plures inimici, quos Gallia noſtra in ſuo ſinu fouet & nutrit, ſpargunt inter nos nouam Theologiam, de qua noſtri Maiores nihil vnquam audiuerunt; nempe: Quod poteſtas temporalis noſtrorum Regum dependeat a Papa, & per conſequens, quod ipſe poſſit diſponere de hoc Regno, & Regem deponere ſecundum ſuam voluntatem: doctrina certè impia, maledicta, ſiniſtra & infelix, quæ euertit noſtra priuilegia & immunitates, minuit maieſtatem noſtrorum Regum & liberat ſubditos ab obedientiâ, quam ſuperioribus ſuis debent. Oportet nos hic præſupponere & ſcire, quod authoritas noſtrorum Regum immediate à Deo, & nulla ratione, nullo modo à Papa dependet. Et quicunq; contrarium docet, ſuper

Regesnoſtros vult conſtituere alium Regem, & Coronam hanc exponere publicæ Rapinæ, vt vel euertatur, vel perpetuæ ſeruituti ſubijciatur, vel in aliorum & quidem peregrinorum manus tradatur. Ego ipſe concedo Papam eſſe ſupremum, ſed in his, quæ concernunt poteſtatem ſpiritualem, quæ poteſtas ſpiritualis etiam nihilominus eſt limitata & reſtricta in Gallia per Canones antiquorum Conciliorum, in hoc Regno hactenus receptorum & obſeruatorum: Verùm, quantum attinet poteſtatem temporalem, ego ſimpliciter nego, illum ibidem aliquid iuris habere vel prætendere poſſe. Status Galliæ viriliter & fortiter ſe oppoſuerunt Pontificibus Romanis, qui, vt authoritatem ſibi acquirerent, in noſtrum Regnum poteſtatem ſuam temporalem introducere & ibidem ſtabilire ſunt conati. Curia Parlamenti ſimile fecit, tum, cum Regi Ludouico II. demonſtraret priuilegia & libertates Eccleſiæ noſtræ Gallicanæ: Et cum per decreta expreſſa pœnam honorariam, vt Galli vocant, iniungerent Iohanni Tanquerello & Florentino Iacobo, Theologiæ Baccalaureis, quod in ſuis theſibus defenderant; quod Papa poſſit deponere Reges, vt qui ſupra illos habeat poteſtatem temporalem & ſpiritualem. In vniuersâ ſcripturâ hoc nunquam inuenietur, quod Deus ipſi cum poteſtate ſpirituali etiam temporalem ſuper Regna mundi aſſignet: E contrario hoc inuenitur & legitur, quod IESVS CHRISTVS ipſi aufert & adimit, quando diſcipulis & Apoſtolis ſuis demonſtrat. Quod hæ duæ diſtinctæ poteſtates in vno eodemque ſubiecto ſimul & vnâ ſubſiſtere non poſſunt. Ille, nempe Chriſtus, omnia poterat, & tamen recuſauit hanc poteſtatem temporalem, & ſeipſum ſubiecit huius mundi

Imperio

Imperio & iuriſdictioni, cum ipſe & mater eius virgo Maria iuſſu Auguſti nomina ſua profiterentur: cum Cęſari tributum ſolueret: cum rogaretur, vt iudicaret inter duos fratres: Quis me (dixit ille) conſtituit iudicem aut diuiſorem ſupra vos? cum etiam tempore mortis ſuæ mori vellet non quidem inſaniâ Iudæorum, ſed authoritate Cæſaris vel ipſius Vicarij & præfecti. Exemplum Domini noſtri Ieſu Chriſti eſt ſufficiens ad damnandum hanc dominationem, quam Papa ſupra Coronam noſtrorum Regum ſibi attribuit. Reges gentium (dicit Dominus noſter) dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur: Vos autem non ſic. Papa non habet aliud Ius, quam quod Sanctus Petrus & ſucceſſores ipſius habuerunt, & quod Ius etiam Ieſus Chriſtus in allegato dicto limitat & reſtringit. Et Apoſtoli hanc eandem doctrinam etiam docuerunt. Apoſtolus Paulus commendat, quantum poteſt, obedientiam debitam Regibus, & hortatur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes pro ipſorum proſperitate & magnificentiâ, tanquam pro re, quæ Deo valde placet: Dicit etiam: quod qui reſiſtit poteſtatibus ſupereminentibus, ordinationi Dei, à quo vnico procedunt, reſiſtit. Ipſe etiam accuſatus non declinauit iuriſdictionem Felicis & Feſti, verum appellauit ad Cęſarem, ſe ſubijciens iudicio coram Agrippa: Et hoc omne fecit, vt exemplum imitationis præberet ſuis ſucceſſoribus. Sanctus Petrus, cuius hæredes ſunt Papæ, reijcit & damnat hanc dominationem, quando ſeniores admonet, vt paſcant gregem Dei, non vt dominantes in cleris, ſed formæ facti gregis ex animo. Et ipſe recepit à Domino Saluatore noſtro claues cæli, quas poſtea ſuis ſucceſſoribus reſignauit. Nam, vt dicit & docet Apoſtolus Paulus, nemo militans implicet ſe negocijs

ſecularibus, vt ei placeat, cui ſe probauit: Nam bene ſciebat, has duas poteſtates non poſſe vna ſubſiſtere. Et propter hanc ipſam rationem Pontifices per ſpacium octingentorum annorum non vſurparunt neque vſurpare voluerunt dominationem temporalem ſuper Regna mundi. Magnus ille Gregorius appellat in epiſtolis ſuis Imperatorem Mauritium Dominum ſuum, & ſe ipſius ſubditum eſſe agnoſcit, proteſtatur etiam ſe ſemper in ipſius obedientiâ permanſurum eſſe. Pelagius ſuſpectus hæreſeos fidei ſuæ rationem reddit Regi Childeberto & fatetur, quod ſacra ſcriptura ipſum iubeat obedire Principibus ſupremis. Carolus Magnus factus Imperator fuit adoratus ſecundum conſuetudinem veterem Principum à Papa Leone. Et Leo Quartus accuſatus coram Ludouico, appellato Miti & Pacifico ſe ipſius iudicio ſubiecit. Tum temporis Pontifices non ſolebant deponere Reges & ipſorum ditiones & Regna primo occupanti tradere: verùm è contrario Imperatores priuabant Pontifices ſede & officio, & alios in ipſorum locum ſubſtituebant, quando ipſis placebat. Alexander miſit in exilium Pontianum Primum: Honorius Româ eiecit Bonifacium & Eulalium: Conſtantinus Liberium, in cuius locum ſubſtituit Felicem: Iuſſu Imperatoris Iuſtiniani priuauit Beliſarius officio ſuo Silucrium & in eius locum promouit Vigilium: Conſtantius Tertius Martinum Primum: Otto Primus Iohannem & Benedictum: Otto Tertius Leonem Octauum: Henricus Quartus Benedictum Decimum & Gregorium Septimum: & Fridericus Barbaroſſa Alexandrum Tertium. Silentio iam lubens prætereo plura alia Exempla, quibus hiſtoriæ ſunt repletæ. Imperatores igitur remouebant & reſtituebant ipſos quiſquis ſecundum ſuam voluntatem:

tem: vlterius ipſi non poterant promoueri & euehi ad Papatum ſine Imperatoris confirmatione. Sanctus Gregorius nunquam fuit auſus ſibi titulum hunc vendicare, niſi poſtquam ab ipſo impetrauit literas confirmationis. Reliqui Pontifices omnes hoc ipſum etiam fecerunt & obſeruarunt, donec Rex Ludouicus, dictus Pacificus, potius ignoranter quam iuſtâ & legitimâ aliquâ ratione Pontificibus facultatem ſeſe inuicem eligendi & inſtituendi concederet. Et hinc tot fuere mota bella à Germaniæ Imperatoribus, ipſius ſucceſſoribus, qui prætenderunt, hunc principem non potuiſſe cum ipſorum præiudicio & detrimento hoc ius reſignare, vtpote quod eſt de eſſentia, natura & dominio ſtatus Imperialis. Et ex hoc ipſo diſcurſu patet oculariter, quod neque Chriſtus, neque Apoſtoli, neque Pontifices ipſi per multa ſecula ne per ſomnium quidem cogitarunt, aut conati ſunt poteſtatem temporalem principum ad ſe rapere. Chriſtus etiam, cum veniſſet in mundum, vt adimeret metum & ſuſpicionem, quam aliâs Reges & Principes de ipſo concipere potuiſſent, expreſsè declarauit, ſe non quærere regna mortalia, cum ſuum Regnum ſit cæleſte & ſpirituale: Declarauit etiam Cæſari eſſe dandum, quod ſit ipſius: Id quod etiam ſufficienter monſtrat, quod Chriſtianiſmus nec ſubditos liberat ab obedientiâ, quam ſuis ſuperioribus debent, nec debet vel cupit euertere poteſtatem & iuriſdictionem politicam. Leo ſcribens ad Regem Ludouicum, dictum Mitem vel Pacificum, ipſi recenſet, quod ſicut Reges rebus politicis & temporalibus; ita Sacerdotes præſideant rebus ſpiritualibus; Et quemadmodum priores Pontifices Reges & Imperatores ab ipſorum imperijs & dominijs non remouebant; neq; excommunicabant, neque rapinæ & quidem primo occupanti exponebant; ita

neſciebant etiam, quid eſſet excommunicatio Imperatorum, quamuis ſæpius etiam hæretici eſſent. Conſtantinus & Valens Trinitarij: Theodoſius Secundus & Valentinianus Tertius Eutychiani: Iuſtinianus Secundus, Chilpericus Rex Galliæ, Theodoricus Rex Gothorum & Oſtrogoti dominantes in Italia, & notanter Romæ, Lombardi & Wiſegoti, qui diu regnarunt in Hiſpaniâ, & Vandali in Africa Ariani, non fuerunt excommunicati. Verum & certum eſt in prima Eccleſiæ integritate Papam nunquam conatum fuiſſe excommunicare vllũ aliquem Principem. Gregorius Tertius excommunicauit Leonem, ante annos ni fallor octingentos ſexaginta quinque, propterea, quod defenderat imagines. Verum hæc excommunicatio fuit infructuoſa & vana, quia Græci ſubditi Leonis eam nihili fecerunt; nam Eccleſia Græca iam dudum ſeparata fuerat à Romana. Poſtquam verò poſt multos annos Pontifices pedetentim ad immanem & admirandam altitudinem peruenerant, inceperunt ſub ſecundâ & tertiâ Regum noſtrorum lineâ excommunicare Lotharium, Carolum Caluum, Philippum Primum, Ludouicum Craſſum, Philippum Auguſtum, Philippum Pulchrum, Carolum Sextum, Ludouicum Duodecimum, Henricum Tertium & Quartum: Verum has excommunicationes omnes Galli tanti fecerunt, vt etiam Prælati ipſi Papæ reſcriberent, quod ſi ipſe veniret in Galliam Regem excommunicaturus, ſine omni dubio inde redire cogeretur excommunicatus, cũ ſuis bullis & fulminibus, quæ veterum Canonibus erant contraria. Et ſtatus Galliæ tam impatientes fiebant, vt impulſi partim iuſtâ irâ, partim legitimâ obedientiâ ipſi Papæ reſcriberent Imperia & Regna per tales excommunicationes non acquiri: & ſe ipſos etiam pro libertate Regis & Regni vſq; ad mortem viriliter propugnaturos eſſe:

tos eſſe: Imò nos ipſi captiuum duximus Papam in Italiam, & pugnam obtulimus, in quâ ipſe victus fuit. Vlterius ipſius Legati diuerſis vicibus plauſtris è carcere in locum publicum vecti & producti, tunicis nigris pictis induti, mitellis papyraceis catamidiati & publicâ infamiâ affecti fuerunt cum Prælatis Gallicis ab ipſorum parte ſtantibus, qui beneficijs & officijs ſuis priuati poſtea manum ad ſtipem porrigere cogebantur. Et poſt hæc omnia ipſorum bullę Curiæ decreto igni combuſtæ fuerunt. Et hoc eſt ipſum medium, quo vſi fuimus, quando Pontifices Reges noſtros excommunicare & proſcribere ſunt conati. Nam obedientia & voluntaria Gallorum ſubiectio nunquam diminuta fuit per has cenſuras; quia nos ſemper credidimus Sancti Petri ſucceſſores in Papatu nunquam temporibus vltimis ſibi acquiuiſſe plus poteſtatis, quam illam ipſam, quæ ipſis tradita fuerat; potiſſimum, quia omnes illi veteres Pontifices numero ſedecim iurauerunt conſeruationem noſtrorum Regum & ipſorum Coronæ, & declarauerunt etiam expreſsè, ipſos ſcilicet Reges excommunicari non poſſe, nec ipſis Galliam interdici poſſe propter inſignes immunitates, & prærogatiuas Regni, de quibus ipſi ſufficienter informati fuerant; Et propter hanc ipſam rationem, ipſi declarârunt bullas ſuas eſſe potius declaratiuas, quam cõſtitutiuas iuris huius nobiſcum nati & propagati. Interim tamen, licet Rex noſter non poſſit excommunicari per Papam, ego per formam præſuppoſitionis concedam iam exercitij gratiâ, ipſum excommunicari poſſe. Sed nego ego, hanc Papę excommunicationem vel Regi noſtro Regnum proprium interdicere vel ſubditos liberare & abſoluere poſſe à fidelitatis Iuramento, quo Principi ſuo ſunt obſtricti & obligati: Nam excommunicatio concernit ſpirituale, Regnorũ vero diſpoſitio temporale,

porale, vbi Papa iure diuino nihil quicquam habet iuris. Cum Apoſtolus Paulus inceſtuoſum excommunicaret, nihil quicquam de ipſius bonis diſpoſuit, nec liberos ipſius debitâ ſucceſſione priuauit. Sanctus Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis excommunicauit Imperatorem Theodoſium, nihilominus tamen durante hac ipsâ excommunicatione pro legitimo Imperatore fuit recognitus. Nam licet Eccleſia habeat poteſtatem ſuper Reges, hæc tamen ipſa poteſtas ſe non extendit ſuper Regna: Reges ſunt in Eccleſia, ſed non Regnum ipſum. Eſt ergò Regnum ipſum extra poteſtatem Eccleſię & Papę. Imò Eccleſia ipſa è contrario eſt & conſeruatur in Regno. Sed quid exinde ſequitur: Hoc ipſum, quod tantum abeſt , vt Papa vel Eccleſia habeat aliquam poteſtatem & iurisdictionem ſuper Regna mundi, vt potius & è contrario Reges habeant poteſtatem ſuper ipſam Eccleſiam , quia illa in Regno eſt, in Regno nutritur, conſeruatur & defenditur. Sed vt redeamus ad operationem excommunicationis , illa remouet quidem hominem excommunicatum ab actionibus pijs , quæ in Eccleſiæ cætu peraguntur , quemadmodum etiam ab ipſius Eccleſiæ communione , ſed nulla ratione ſe extendit ad politica & temporalia, vt hominem excommunicatum bonis & facultatibus ſuis etiam priuet : Agit contra animam gratiâ Dei priuatam, & non contra bona temporalia. Et propterea etiam , quando excommunicatione contra aliquem eſt vtendum, excommunicandi vita & conditio probè eſt conſideranda : opus etiam eſt prudenti conſilio & deliberatione , an nempè excommunicandus tam ſit ægrotus , vt morbus ipſius tantam requirat violentiam & tam extremum remedium : Vti tunc demum patientiâ, & admonitionibus paternis, & non

adhibere

adhibere oportet cenſuræ aciem, niſi videamus carnem putrefactam de ſeipsâ decidere de corpore, & nullo amplius remedio putrefactionem corporis totalem auerti & impediri poſſe: non niſi cum lacrimis & cordis mæſtitia adhibenda eſt excommunicatio, vtpote quæ cum vulnere vitam etiam adimit. Et licet prædicta omnia fuerint adhibita, tamen opus eſt, vt poſtea Eccleſia Deum precetur pro ipſo ſine intermiſſione, vt remiſſionem peccatorum & gratiam Dei impetret, & vt ſic per ipſam viciſſim in fidelium cœtum aſſumatur & recipiatur. Et quando etiam Epiſcopus ſummâ quaſi vi cogitur excommunicationis fulmen vibrare contra deſperatæ vitæ hominem: nihilominus tamen, quando obſeruauit formalitate & circumſtantijs, quas deduxi, cum iudicio & conſenſu Eccleſiæ ibidem procedere debet. Samoſatenus & Nouatianus fuere ſimul excommunicati, ſed per totam Eccleſiam. IESVS CHRISTVS ſolus noluit damnare mulierem adulteram: Apoſtoli in Eccleſiæ gubernatione vires, officia & conſilia coniungebant: Dauid conſilij ſcintillulas à populi primoribus emendicabat: Moſes cogebatur conuocare conſilium Iſraeliticum: Quando Chriſtus dicit ad ſuos Apoſtolos: *Quæcunque ligaueritis, &c.* Non tantum loquitur ad ipſos tanquam ad perſonas particulares, ſed hanc poteſtatem toti corpori Eccleſiæ concedit. Et ſi permiſſum eſt Regem noſtrum excommunicare, nihilominus tamen Pontifici Romano hoc minimè licet, quia extra fines commiſſi muneris in alienam vocationem excurreret, & iuriſdictionis ſuæ limites tranſgrederetur. Nam non ſequitur, quod, quia Rex eſt infans & membrum Eccleſiæ, ideo Papæ liceat ipſum eijcere, & regno ſpirituali

matris

matris ſuæ priuare. Papa ſolus non eſt Eccleſia; Ergo hæc executio relinquenda eſt Eccleſiæ Gallicanæ, quæ hac ipsâ vſa eſt contra Philippum Primum, in Concilio inſtituto Claremonti vel Gergouiæ, Papa Vrbano Secundo præſente: & contra Philippum Auguſtum, aſſiſtentem Legatum Papę Cæleſtini Tertij: Nam ſicut Rex eſt filius Eccleſiæ; ita forum ipſius agnoſcere & correctionem maternam audire & recipere tenetur. Et hoc eſt verum, legitimum & vnicum medium & remedium, quo Reges ad æquitatem cogi & reuocari poſſunt, quando frænum affectibus ſuis nimium laxantes licenter abutuntur authoritate & pręeminentia, quam ſuper ſubditos habent. Cum Iulius Primus ſeſe etiam immiſcere vellet excommunicationibus, quibus Epiſcopi Orientales vtebantur, omnes Epiſcopi reſcripſerunt, ipſum nihil iuris habere nec prætendere poſſe: Eſſe hoc extra ipſius territorium, & ipſum contentum eſſe debere gubernatione ſuorum ſubditorum: obiecerũt ipſi, cum ipſe excommunicaret Nouatum, Eccleſiæ Romanæ ſacerdotem, ſeſe tali excommunicationi non immiſcuiſſe, & propterea debere ipſum etiam pari reſpectu & modeſtia erga eos vti: Porrò, ipſi etiam excommunicationem minabantur, quam poſtea in pleno Concilio contra ipſum executi fuerunt: Quoniam, diœceſes per Apoſtolos & eorum ſucceſſores iam diuiſæ & ſeparatæ ſunt, ordo & leges Eccleſiaſticæ poſtulant & volunt, vt quilibet in ſua diœceſi officium ſuum faciat, & quæ alijs iniuncta, expedienda relinquat & ſibi caueat, ne falcem in alienam meſſem immittat. Quis excommunicauit Theodoſium? Sanctus Ambroſius. Videtis & cognoſcitis ergò ex hoc diſcurſu, quam viriliter Prælati ſcripſerint & ſeſe oppoſuerint Pontificibus, qui Reges noſtros excommunicare volebant; quomodo etiam cum Nobilitate & Parlamentis

conſul-

conſultarint de tractandis & excipiendis Pontificum Legatis eorumque bullis: Omnes excommunicationes, quæ à Pontificibus ſolis contra Reges noſtros emiſſæ fuerunt, malè etiam in hoc Regno exceptæ fuerũt, quia Pontifices ſunt homines, & propterea etiam vt homines poſſunt peccare iraſcendo, affectibus & paſſionibus nimiùm indulgendo, decipiendo, & in actionibus, conſultationibus & iudicijs ſuis temerarijs & inconſideratis fallendo & errando; Et ſic conſequentia & exemplum hoc eſſet valde periculoſum & incommodum Regi noſtro, ſi ipſe deberet eſſe mancipium calidæ iræ, furoris & malæ voluntatis vel falſę perſuaſionis vnius ſolius hominis, qui ipſe obnoxius eſt varijs animi motibus & perturbationibus, & immoderatis paſſionibus naturæ corruptæ, imò qui ipſe in ſumma ſua dignitate paſſiones & affectus corruptæ ſuæ naturæ nec depoſuit, nec adhuc deponere & exuere poteſt, quemadmodum huius rei exemplum habemus in Conſtantino Primo, qui etiam cum omnibus alijs nationibus voluit venire ad Imperij cladem & ſpolia acquiſita participare; Et propterea, vt ſcopum propoſitum aſſequeretur, excommunicauit Philippum, & poſtea etiam Imperatorem proſcripſit. Imperium hac ratione perterrefactum excitauit in Gregorio Tertio deſiderium abſoluendi id, quod inceptum erat, & propterea vtens oblatâ occaſione excommunicauit Leonem Yſauricum, quem bonis, quæ in Italia poſſidebat, priuabat, & ipſius ſubditis prohibebat, ne inpoſterum ipſi vel obedirent vel vllum tributum conferrent; quos etiam hanc ob cauſam ab omni ſeruitute liberauit: ſe etiam curauit, declarari & proclamari Ducem & Principem Romæ per ipſos Romanos, qui etiam ipſi iuramẽtum fidelitatis præſtiterunt. Robertus Guichardus Normandorum Capitaneus ab Imperio Græco abalie-

nauit & occupauit Apuliam & Calabriam: & quia regnum ſuum magis magiſque augere & dilatare cupiebat, ademit etiam Beneuentum Nicolao Secundo, qui quam primum excommunicationis fulmen contra eum emiſit, & obtinuit, vt Robertus ille dictam ciuitatem reddere, & propter Apuliam & Calabriam Homagium ipſi præſtare cogeretur. Adrianus Quartus, poſtquam Guilielmem Normandum excommunicauerat, acquiſiuit ſibi ius protectionis ſuper Siciliam: Fridericus Secundus Rex Neapolis & Siciliæ fuit excommunicatus per Clementem Quintum, & ipſius Regna data primo occupanti, quæ poſtea Carolus Comes Prouinciæ & Auenionis, frater Regis Sancti Ludouici acquiſiuit Papæ fauore, à quo etiam inueſtituram accepit. Rex Iohannes Sansterre, excommunicatus ab Innocentio Tertio maluit Regnum ſuum Angliæ fieri Papæ tributarium, quam illud contra Gallorum arma defendere: Et ſicuti per ſuas cenſuras Papa ſibi fecit hoc Regnum tributarium (vt etiam vnum idemque remedium ſimul operatur contrarios effectus ſecundum diſpoſitionum diuerſitatem,) ita excommunicationis fulmen à Clemente ſeptimo contra Henricum Octauum emiſſum ipſum poteſtate ſpirituali & temporali in Angliâ priuauit. Valdè pauci inueniuntur Reges & Principes per Pontifices excommunicati, à quibus ipſi, ſcilicet Pontifices, per formam ſatisfactionis aliquam vtilitatem non receperint, ita, vt vel cæcus videat & cognoſcat, ſcopum ipſorum in talibus excommunicationibus hunc vnicum fuiſſe; nempè ſub illarum prætextu authoritatem ſuam augere, & plus bona corporalia, quam Dei gloriam & Eccleſiæ pacem quærere & procurare. Gallia, quæ

lia, quæ felicior, fortior & generoſior eſt, quam omnia alia Imperia & Regna, & quæ nunquam negauit obedientiam & fidelitatem, quam Regibus ſuis debet, hoc ius excommunicationibus nunquam conceſſit, ſed ſemper ab illis ad futurum Concilium appellauit: Et eiuſmodi appellationes ſunt conformes politiæ Eccleſiæ & conſtitutionibus Sanctorum Conciliorum; & impediunt excommunicationis effectum. Et quoniam hæ appellationes ſemper durabant, nos recurſum noſtrum habuimus ad appellationem, quæ viget & valet in curiâ Parlamenti, quod cognoſcens abuſum declarat tales bullas abuſiuas & nullas. Formæ, quas vſque ad tempus præſens in Gallia contra Pontifices, qui Regibus noſtris aduerſati ſunt, obſeruauimus, debeat meritò commouere Papam, vt prius benè conſultet & deliberet apud ſeipſum, quam excommunicationis fulmen emittat contra aliquem Regem & Principem: Excommunicationem ſuam ponderare & conferre debet cum poteſtate & viribus illius, quem vult excommunicare, & cum obedientia prompta & voluntaria, quam ipſi ſubditi ſui præſtant; Et ſi videt Regem vel Principem aliquem non tantum armis, ſed & legibus & beneuolentiâ ſubditorum benè armatum & munitum, ipſius eſt abſtinere ab eiuſmodi violento remedio, ne eo ipſo, dum morbum vult expellere, maiorem & peiorem excitet, id quod in Angliâ accidiſſe hiſtoriæ teſtantur.

Multum certè intereſt Papæ, vt ſua authoritas ſarta tecta conſeruetur, id quod faciet, quando omittit & ſuſpendit excommunicationes, quas exequi non poteſt. Melius & honorabilius eſt Principi alicui

Aa 2 non

non conſtituere leges quam leges, conſtituere, & eas vel nunquam exequi vel obſeruare. Vlterius nimiæ illæ excommunicationes & cenſuræ, quæ non feriunt & nihili æſtimantur, tandem in iocum conuertuntur, ſicuti in Gallia contigiſſe videmus & ſcimus. Et licet Pontifices mirum in modum auxerint poteſtatem & authoritatem ſuam per hoc ipſum remedium; Papatui tamen ſemper magis pernicioſum quam fructuoſum fuit: Nam ex hoc remedio vidimus nata & exorta tot ſchiſmata, hæreſes, & bella horribilia & crudelia, quæ Pontificibus funeſtam & maledictam memoriam reliquerunt, & hoc ideo, quia authores fuerunt, quod tot Imperia & Regna in cinerem redacta fuerunt, quod dignitas Papalis pedetentim diminuta & ſedes Apoſtolica fuit contempta per ſtatus & Principatus, qui ſe ab ipſius obedientiâ exemerunt, vt Græcia, Germania, Anglia, magna pars Galliæ, Nauaria, Bohemia, & totus Oriens, & in genere quaſi omnes reliquæ nationes, ita vt metuam, ne prouerbium hic verificetur: Qui vult omnia, perdit omnia: Quod ſi Papa benè facere & prouidere ſibi cupit, tantùm ſalutem animæ reſpiciat & quærat, & vtatur ſimpliciter remedijs illis, quæ in doctrinâ Euangelicâ proponuntur, & non patiatur ſe abripi affectibus malis & peſtiferis: Nam ſi ad ſatisfaciendum affectibus ille vult abuti doctrinâ & authoritate ſuâ, non conſiderans, quod Deus ipſe ſummam hanc dignitatem ſpiritualem ad ſalutem animarum in manus tradidit, & non vt Reges à Regnis ſuis remoueat; certè fructus nullus alius quàm inſigne infortunium, in toto Chriſtianiſmo, tumultus & irreparabilis Papatus ruina inſequi poteſt. Vt nos paucis expediamus, nos dicimus, quod Papa extra Galliam & ſine Eccleſia Gallicana non poteſt excommunicare Regem noſtrum, vel ipſum Regno ſuo exuere & priuare. Et in hac

hac ipſa libertate omnes ipſius anteceſſores ſteterunt & ſe ita defenderunt, vt, quoties Pontifices ipſam labefactare voluerunt per paria & illegitima media, ipſi hoc nunquam permiſerunt: ita vt tandem Pontifices ipſi melius informati recognouerint, & hanc libertatem & noſtros Reges & ipſorum ſubditos pro Chriſtianiſsimis, veris Catholicis membris Eccleſiæ. Quæ doctrina conformis eſt iuri communi, verbo Dei, ſanctis decretis, Conciliorum determinationibus & decretis, libertatibus Eccleſiæ noſtræ Gallicanæ, ſanctis & veteribus conſuetudinibus, ſtatutis & vſui huius Regni. Credo ego, quod omnes, qui amant Regem & ipſius Regnum, renouabunt & reſuſcitabunt hanc veterem doctrinam, cum Gallia natam, tantoperè amatam, exceptam & defenſam à noſtris anteceſſoribus: Et quam doctrinam certæ quædam viperæ in hoc regno reptantes conantur adulterare & ex oculis & cordibus hominum remouere, vt Papam Romanum cum Regis noſtri diminutione, conculcatione, detrimento & dedecore eleuent, & vt rem eò deducant, vt excommunicationes Papales ſint tot media regnum ipſius inuadendi. Reponam huc, quod Sanctus Auguſtinus ſcripſit ad Papam Cæleſtinum Tertium: Mittere Legatos ſuos, qui ſunt magis voluntatis, quam poteſtatis ſuæ executores, nihil eſt aliud, quam fumos vendere mundo & Eccleſiæ ſimplicitatem ſuffocare.

De Immunitatibus Eccleſiæ Gallicanæ.

CAPVT II.

PERMVLTI prælati, qui tenent primas dignitates Eccleſiaſticas in hoc Regno & qui officijs optimis & honoratiſſimis in Conſilio Regis funguntur, faciunt, vt ita loquamur, lecticam ex immunitatibus Eccleſiæ no-

ſtræ Gallicanæ; vt Papam plus honorantis & eleuantis quam vnquam in Galliâ factum fuit, eadem opera ſatisfaciant cæcæ ſuæ ambitioni: quemadmodum non ita pridem vidimus, quod contra ordinem & leges Galliæ quædam pauperes religioſæ ſumma vi coactæ fuerunt Romam ſe conferre, & ibidem iudicio contendere & cauſas ſuas agere, poſtquam diplomaticum poſtliminium ipſis fuit denegatum, & Parlamenta interdicta. Scio, quod omnes, qui Galliam amant, ſeſe oblectabunt in lectione huius diſcurſus, qui breuibus deſcribit principium & continuationem noſtrarum immunitatum. Vt vero earum veram ſciamus originem, neceſſarium eſt ante omnia paucis hîc indicare, quomodo Pontifices tantam poteſtatem & authoritatem, quam hodie vſurpant, ſibi acquiſiuerint: poſtea conſilia, & conatus quibus in hoc noſtro ſtatu ſunt vſi, & quomodo nos coacti fuimus noſtras immunitates exequi & ipſis opponere ad infringendum ipſorum conatus & conſilia. Durantibus quatuor & quinque prioribus ſeculis Pontifices fundamenta ſuæ magnitudinis & poteſtatis iecerunt ſuper ſanctitate, paupertate, afflictionibus & martyrijs, vt cælum pro ſorte ipſorum hæreditatis haberent. Poſtquã vero ſucceſſu temporis terram ipſam in matrimonium duxerunt, omnibus neruis contẽderunt & in hoc vnico elaborârunt, vt ad ſummam altitudinem & magnitudinem, in quâ adhuc hodie conſtituti ſunt, peruenirent. Et vt eo tutius & melius ſcopum hunc præfixum aſſequerentur, vſi ſunt infortunio & ruinâ Epiſcoporum Orientalium, qui in ſuis aduerſitatibus ad ipſos tanquam ad ancoram & aſylum confugiebant: quemadmodum etiam grauaminibus, quæ Epiſcopi potentiores & maiores minoribus imponebant, nam, vt inferiores & minores

minores hiſce grauaminibus ſubleuarentur, ad ſanctam Sedem recurrebant, vbi etiam valdè amicè & benè excipiebantur & faſce ſuo leuabantur. Et prout authoritas ipſorum magis magisq; creſcebat; ita etiam difficultatibus negotijs hiſce intricatis dextrè & promptè expediendis adſignabant viros, qui non tantum in negotijs & rebus Eccleſiaſticis, verum etiam politicis nutriti, informati & benè verſati erant, qui etiam magno cum reliquorum omnium Epiſcoporum incommodo ſeſe promouerunt & extulerunt: In Concilio Niceno præeminentia ipſis conceſſa & aſſignata fuit: In Concilio Conſtantinopolitano concluſum fuit, primam ſeſſionem ipſis iure merito eſſe tribuendam: In Concilio Chalcedonenſi Leo Primus etiam titulo Vniuerſalis inſignitus & honoratus fuit: nihilominus tamen neque ipſe, neque ipſius ſucceſſores titulum hunc diu vſurpârunt. Et in ſexto Concilio Conſtantinopolitano Papa & Patriarcha Conſtantinopolitanus diuerſis nominibus appellari fuerunt: vnus œcumenicus, alter vniuerſalis: nihilominus in hoc titulorum concurſu Legati Papæ fuerunt primi in ſubſcriptione, & poſt eos tres reliqui Patriarchæ. Imperatorum, qui Româ Conſtantinopolim ſeſe contulerant, authoritas, poteſtas & maieſtas ſenſim euaneſcebat, & Patriarchæ authoritas indies etiam decreſcebat id quod ſanctæ Sedi magnum incrementum afferebat. Nam in huius & illius deiectione, & depreſſione conſiſtebat eleuatio Papæ Romani, qui & ſpirituale & temporale occupabat & ad ſe trahebat: progreſſu temporis Patriarchæ Alexandriæ, Antiochiæ & Ieruſalem ita deprimebantur & humiliabantur, vt Religio noſtra Chriſtiana curſu & exercitio ſuo

per

per totum Orientem priuaretur: Et dicti patriarchæ nil niſi imaginem dignitatum ſuarum retinebant, quia magnitudo & maieſtas Eccleſiæ vniuerſalis magno conamine ad dignitatem Papalem Romanam deuoluebatur & trāsferebatur, & ad hanc ipſam omnes Prælati recurrebant, quando quæſtio & difficultas quędam de aliquo Religionis puncto erat componenda & decidenda, id quod mirum in modum Pontificum augebat authoritatem: Nam Pontifices videntes ſe ſibi tantam acquiſiuiſſe poteſtatem, ius & imperium in Epiſcopos ſumebant & ipſis pro libitu frænum inijciebant, de quo etiam Sanctus Cyprianus valde conqueritur: Et in Gallia ordo ſacricolarum propterea obiurgauit Eleutherium, ſicut etiā Sanctus Irenęus, Epiſcopus Lionenſis Victorem. Durantibus hiſce temporibus Pontifices quidem omnem mouebant lapidem, vt ſeſe cum inſigni Epiſcoporum detrimento promouerent & extollerent, ſed Imperatoribus & Regibus leges præſcribere nedum cupiebant, nec etiam cogitabant. Verùm, quemadmodum plures principes & Reges vſi ſunt Pontificum authoritate ſpirituali ad deprimendos & deſtruendos ſuos hoſtes; ita ipſi hac ipſa occaſione oblata tam benè ſunt vſi, vt poſtea potentiſſimis huius mundi Monarchis terrorem incuterent, & Reges Regnis & imperijs ſuis exuerent: Tantum poteſtatis in nos habet religionis prætextus cautè à mundanis vſurpatus & applicatus: Et in hoc ipſo Papa rectè fuit agnitus. Sub prima Regum noſtrorum linea quemadmodum Papæ authoritas in Gallia non recognoſcebatur, neque æſtimabatur; ita nemo ad ipſam etiam recurrere ſolebat: Nam omnes quæſtiones & difficultates Eccleſiaſticę decidebantur & componebantur à ſynodis nationalibus & prouincialibus, quarum inſtitutio & conuocatio à ſola Regis authoritate dependebat, &

bat, & confirmatio ipſius neceſſariò requirebatur. Et hoc fiebat ſine vlla noſtratium diſcordiâ, quantum ad fidem Eccleſiæ Romanæ attinet. Hanc Concilij formam ab Eccleſiâ primitiuâ deſumpſimus & didicimus, & eam vſque ad noſtra tempora continuauimus & propagauimus, & hanc ipſam formam Eccleſia vniuerſalis etiam approbauit, quamuis Pontificum authoritas non interuenerit. Sub ſecundâ Regum noſtrorum lineâ Pontifices inceperunt pedem huic Regno inferre & ibi poteſtatem ſuam introducere & ſtabilire. Nam quò plus authoritatis ibi habebant, eò magis Pepinus confirmabat Regnum recenter familiæ ſuæ Zachariæ iuſſu & ſuaſu, cum prioris ruina acquiſitum. Ordines Romani, quos Carolus Magnus ibidem introduxit, Pontificibus magnam authoritatem conciliauerunt: Nam ſæpius Romam erat abeundum, ne ipſi, nempe Pontifices, tanquam oracula, de rebus dubijs de ordinum obſeruatione motis & propoſitis conſulerentur: Et quoniam mediantibus hiſce conuerſationibus & conſultationibus ſæpius cum Gallis communicabant, tandem ſibi poteſtatem ſuper Reges & Prælatos noſtros vendicauerunt: ſuper priores, poteſtatem eos excommunicandi & Regnis priuandi ſibi adſcribendo; ſuper poſteriores, eos ſibi ſimpliciter & totaliter ſubijciendo, vtpote qui ab ipſorum ſola voluntate dependerent. Pro certo hoc dicere & affirmare poſſum, ſolam ambitionem & Regum & Prælatorum noſtrorum hanc poteſtatem, quam hodie Pontifices in Gallia vſurpant, cauſatam eſſe. In ſtatu politico ambitio facit, vt principes ſe accommodent omnibus, quæ ſibi vtilia eſſe putant, & vt non conſiderent infortunia, quæ exinde promanare poſſunt, ſed tantum effectum ſuarum prætentionum & propriam vtilitatem. Carolus Caluus primus fuit, qui factus Imperator per Iohannem Octa-

uum renunciauit electioni Pontificum & alijs rebus, quas poſtea ille ad ſuum & ſucceſſorum ſuorum commodum in Papatu applicauit. Vt vero aliquo modo hoc beneficium recognoſcere videretur, Concilium conuocauit, vbi ipſe præſens fuit cum Legato Papæ, qui in primâ ſeſſione curauit prælegi Bullas Apoſtolicas, in quibus Papa Concilij conuocationem permittebat: cui nihilominus prælati ſeſe opponebant, licet Rex ipſe pręſens eſſet, qui etiam non poterat impetrare, quod ad Papæ authoritatem vel augendam vel confirmandam anxiè quærebat. Vlterius, id quod Pontificibus in Gallia maximam authoritatem conciliauit, fuit hoc, quod à Caluo vſq; ad Capetum non cernebatur vera ſtatus facies, ſed generalis præparatio ad inſignem & peſtiferam mutationem, quâ durante Eccleſiæ & Prælatorum authoritas decreſcebat; è contrario Papę authoritas in tantum augebatur, vt ipſius traditiones, quales quales etiã eſſent, legis loco haberentur, & vt quilibet etiã ad ſatisfaciendum ambitioni ſuæ ipſis vteretur. Si prælatus aliquis à collega ſuo grauatus fuerat, ad ſanctam Sedem confugiebat, vbi Papa eum humaniſſimè excipiebat, defendens inferiores Eccleſiaſticos contra ſuperiores & potentiores, vt hac ratione cuilibet anſa Papam tãquam iudicem inuocandi daretur. Rebus dicto modo, ſub duabus primis lineis tranſactis tertia ſucceſſit, quæ Pontificibus omnem authoritatem & poteſtatem confirmauit. Nam cum Eccleſia noſtra ſummâ confuſione inuoluta eſſet, per ſupinam Epiſcoporum negligentiam, per diſciplinæ Eccleſiaſticæ neglectionem, per abbatias indifferenter laicis & ſecularibus datas, per plures Religioſorum ordines de nouo fundatos & inuentos, per plura Collegia Canonica inſtituta, quorum quædam Pontifices liberauerunt ab ordinario Magiſtra-

tu, vt ſeſe ipſorum protectioni ſubijcerent: alios à decimis, quæ iure naturali ſacerdotibus perſolui debebant: per remiſſiones & indulgentias, quas Romæ per confirmationem nouorum ordinum religioſorum quærebant: per canoniſationem animarum beatarum: per Conciliorum generalium promiſſam conuocationem, & per multa alia eiuſdem farinæ, quæ Papis per beneficiorum reſignationem & alia media competere multi credebant; & propter quæ etiam ad curiam Romanam vel ad ordinarios recurrebatur: per beneficiorum permutationem, penſionum ſuper eos retentionem, propter quas ſimiliter Romam multi curſitabant: per diſpenſationem ætatum, pluralitatem beneficiorum: per mutationem Canonicorum in Regulares, &c. Et cum etiam Pontifices hanc poteſtatem in Gallia haberent; noſtri Reges vel illi qui Regnum adminiſtrabant, erant etiam obiectum, quod indies ad ſe trahere ſtudebant. Nam Pontificibus Decimarum collectionem Regibus ſub varijs prætextibus ſuper Clericis permittentibus ipſi viciſſim conniuebant in gratijs expectatiuis & prouiſionibus extraordinarijs Paparum ſuper beneficia, & ſacerdotia, & in actionibus, quæ à beneficijs & ſacerdotijs requirebant, Clemens Quintus veniens Auinionem inuitatione, & ſuaſu Philippi Pulchri, conſtituit & confirmauit confuſionem mandatorum & gratiarum expectatiuarum tam generalium, quam particularium, exactionum, viſitationum, Caducorum ſacerdotiorum, commodorum, mortuorum, dimidiæ partis cenſus annui ab omnibus ſacerdotijs ad ſtatus ſui, & Cardinalium ſuorum ſuſtentationem ſub pænâ priuationis totalis ſacerdotiorum indicta omnibus, qui ſe oppoſituri eſſent: item de Arreſto bonorum mobilium & immobilium

ſacerdotij: de quibus omnibus ille pro ſe vtebatur, quicquid placebat, nihil reſeruans neq; pro Eccleſiæ reparatione, neq; pro debitis defuncti perſoluendis: de cenſu primi anni, quem ad ſe recipiebat de omnibus ſacerdotijs vel per mortem, vel reſignationem, vel permutationem, vel alio aliquo modo vacantibus: Cum ergò in Gallia omnes viderent onera & grauamina intolerabilia, quæ velut agmine facto è curia Romana in Gallos deuoluebantur, Ludouicus Sanctus Philippus Pulcher, Carolus Quintus, Sextus, Septimus & Nonus, Ludouicus Vndecimus & Duodecimus, & omnes reliqui noſtri Reges ſomno excitati tanquam protectores, conſeruatores, patroni & fundatores principales Eccleſiarum huius Regni conuocarunt ſecundum libertatem cum hoc Regno natam Principes ſanguinis, Prælatos & Eccleſiaſticos, & horum ope & conſilio ſanxerunt & conſtituerunt Sanctiones, Regulas, Statuta, Edicta, Leges, vt inpoſterum diſciplina Eccleſiæ Gallicanæ in integritate ſua conſeruaretur, & eò commodius & citius abuſui & exceſſui, ſcandalo, infidelitati prælatorum & impio & noxio ſanctæ Sedis conatui reſiſti poſſet. Et hic ordo benè obſeruatus dedit occaſionem, vt Gallia poſtea fuerit vocata Regnum libertatis, & non obedientiæ, vt ſunt Germania, Hiſpania, Italia, Anglia, Scotia, Lotharingia & alię Regiones & Nationes. Nam ex hac ipſa obedientia in prędictis Regnis tot tumultus exorti ſunt, qui poſtea funeſto & tragico exitu fuerunt finiti & ſedati. Reges ergo noſtri aliorum periculis edocti ſemper defenderũt immunitates & libertates Eccleſiæ Gallicanæ, quos etiam in ſuis inaugurationibus ſeſe conſeruaturos & defenſuros eſſe ſanctè iurant. Et quandiu Eccleſia noſtra hoc modo gubernata fuit, ipſa retinuit veterem libertatem talem, qualis in verbo Dei & vniuerſalibus Conci-

lijs eſt deſcripta & propoſita: Et nihil aliud quam ipſa poteſtas abſoluta Papæ in hoc regno recepta & admiſſa omne malum, quod Eccleſia ſuſtinuit, excitauit. Et vt malo remedium quæratur & Eccleſia intolerabili hoc ſeruitutis iugo liberetur, & quantum fieri poteſt, gaudeat, vtatur & fruatur veteri libertate Canonica, ſemper recurrere fuimus ſoliti ad libertates noſtras, quas nos plena proprietate à Deo ipſo & ſacra ſcriptura & à nullo alio recepiſſe & adhuc tenere expreſsè profitemur: Et libertates hæ nihil ſunt aliud, quam ius commune & ordinarium, reſtrictum per Regum noſtrorum Edicta, Curiæ Arreſta, & per vniuerſalis Eccleſiæ decreta, quæ etiam concordant vnicè cum politia, regulis & ſtatutis, quæ non tantum Apoſtoli, verùm etiam Patres præſcripſerunt Eccleſiæ; & hæc eſt vera, pura & naturalis libertas, quam Parlamenta ad quatuor Concilia œcumenica & alia, quæ hæc confirmant, remiſerunt: Immunitates noſtræ ſunt ſequentes: nempe, quod Rex ſolius Papæ authoritate excommunicari non poteſt: Quod Papa hoc neq; per ſe, neq; per ſuum legatum in congregatione Prælatorum Eccleſiæ facere poteſt, quemadmodum hoc tribus vel quatuor exemplis in hiſtorijs noſtris notatis probare & ad oculũ demonſtrare poſſumus: Quod Papa non poteſt interdicere noſtrum Regnum, neque diſponere de rebus temporalibus, neq; deputare quemquã, qui cognoſcat id, quod concernit iura, prærogatiuas & priuilegia Coronæ Galliæ & ipſius proprietatum: Et quando hoc in effectum deducere voluit, vel in capite ipſo, vel in vltimis hiſce caſibus, ipſius Bullæ & Legati malè excepti & tractati fuerunt: Quod Concilium generale & vniuerſale legitimo modo conuocatum eſt ſupra Papam: Quod immediatè authoritatem & poteſtatem ſuam à Deo habet, cum iure reformandi Eccleſiam

Digitized by Google

tam in capite, quam in membris, vbi etiam Papa comprehenditur & includitur, quem Concilium ſępe depoſuit & alium in ipſius locum ſubſtituit. Quod Reges noſtri habent poteſtatem reformandi Eccleſiam, & conſeruandi ius ſuum, quando Eccleſiaſtici non adhibent debitam diligentiam, puritatem, & ſinceritatem in officiorum commiſſorum executione, & quando legibus, Regulis & Canonibus vitam & officium non conformant. Et hanc authoritatem Reges ſibi ſemper conſeruârunt & reſeruârunt, conuocantes Concilia Nationalia vel Prouincialia, vt corrigerentur & abrogarentur infideles multorum actiones & cõſuetudines vitioſæ, quæ ſucceſſu temporis latenter in Eccleſiam irrepſerant, quemadmodum per Concilia noſtra patet: Quod Papa nihil poteſt facere vel incipere, quod quatuor Concilijs œcumenicis & alijs in Galliâ approbatis, ſtatutis & iuribus Regis, Regni conſuetudinibus, iurisdictioni temporali & Curiæ decretis contrariatur vel pernicioſum eſſe poteſt: Quod Galli ad cauſas ſuas agendum & iudiciò cum aliquo contendendum è Gallia Romam euocari nec poſſunt nec debẽt, ſed hoc ipſum facere debent coram Iudicibus ordinarijs iure ipſo ordinatis & ad hoc officium electis, & in caſu appellationis coram Iudicibus à Papa in Regni parte deputatis: Quod Papæ Legatus nõ poteſt ingredi in Galliam, nec vti ſuis facultatibus, niſi prius à Rege literas impetrârit, quę cum literis ſuis commẽdatitijs in Curia verificari debẽt, audito generali Regis procuratore, ne aliquid fiat, quod poſſit derogare ſanctis decretis, iuribus & priuilegijs Regis, immunitatibus & libertatibus Eccleſię Gallicanæ, ſtatutis Regalibus & Curiæ decretis: Finaliter, omnes noſtræ libertates eò tendunt & hoc demonſtrant, quod Papa non poteſt iudicare de rebus temporalibus; & licet nos recognoſcamus

mus ipſum pro ſummo capite in ſpiritualibus, in Gallia tamen ſumma & abſoluta eius poteſtas non recipitur, ſed limitatur & reſtringitur per Canones antiquorum Eccleſię Conciliorum, in hoc Regno hactenus receptorum & obſeruatorum: Quod ſi etiam Papa aliquid velit moliri contra allegatos Conciliorum Canones, contra libertatem, pacem & tranquillitatem Eccleſiæ Gallicanę, contra bonum publicum huius Regni, contra ſanctas & veteres conſuetudines, contra contractus, leges, vſus & determinationes Eccleſiæ, & curiæ decreta, neq; Rex neq; eius ſubditi ipſi obedire tenentur. Nam quando vni vel alteri cõtraueniebant, antiquitus ad futurum generale Concilium appellabatur, quod Bullarum Papalium effectum ſuſpendebat. Poſtea appellabatur in omnibus, quę potius ad deſtructionem, quam Eccleſię ędificationem vergebant, & generaliter in omnibus, quæ immunitatibus noſtris erant contraria & damnoſa. Hæ appellationes in rei veritate nihil derogant prærogatiuis, vel poteſtatibus vel honoribus, qui Papę debentur, ſed conſeruant diſciplinam Eccleſiæ noſtræ Gallicanæ, & impediunt corruptionem, quæ alias ibidem latenter irrepere poſſet. Propterea etiam quando Pontifices videbãt, quod noſtri Reges omni ſtudio conabantur conſeruare libertates noſtras ſecundũ leges & ſtatuta, & quod ipſi pertinaciter in hoc propoſito perſiſtebant (id quod nihil aliud erat, quam impedire, ne Pontifices Gallię pecuniam & denarios Romam euocarent & transportarent) cũ Galliæ Regibus tranſigebant, & controuerſias exortas decidebant. Ita Leo Decimus tandiu laborauit, donec Rex Franciſcus Primus cum ipſo cõtractum erigeret, per quem quilibet habebat, quod quærebat. Henricus II. illum etiam continuauit. In conuentu Aurelianenſi prohibitum fuit, ex Gallia Romam aurum vel argentum

argentum tranſmittere (id quod ſanctæ Sedi intolerabile eſt grauamen) ſed Carolus Nonus hoc iterum abrogauit. Ex eo tempore contractus ille ſemper fuit obſeruatus, ſed in comitijs in ciuitate Blois inſtitutis Anno 1577. fuit decretum, quod ſi Abbateiæ quædam vacarent, per religioſorum electionem ibi prouideri deberet. Et quia dicto modo res tranſactæ fuerunt vſque ad tempus præſens, exiſtimo Papam & Regem inpoſterum ita viuere debere, prout antea etiam fecerunt: & nihil quicquam noui eſſe proponendum vel incipiendum, quia vterq; eſt contentus. Poſt totum hunc diſcurſum ego dico, quod nos in Gallia recognoſcimus Eccleſiam Romanam pro primâ, vniuerſali & Catholica in eo, quod fidem & religionem Chriſtianam concernit: & noſtrum Regem pro tali, qui dignitatem ſacerdotalem & Regalem coniunctam habet cum inſpectione ſuper diſciplinam Eccleſiaſticam Eccleſiæ Gallicanæ, quoties Eccleſiaſtici officiũ ſuum non faciunt: & quod etiam Rex noſter, quando neceſſitas requirit, poteſt leges ſancire quantum diſciplinam attinet. Et propter hanc etiam rationem Papa & Rex, ſcientes id, quod quilibet facere & exequi debet, omnem debent mouere lapidem, vt non ſolùm pax & tranquillitas Eccleſiæ conſeruetur, ſed vt etiam contractus erectus, confirmatus & continuatus eodem modo, quo vſq; ad tempus præſens, inpoſterum etiam inuiolatè ſeruetur. Nam Papa frangens & rumpens dictum contractum, irreparabile damnum affert non ſolum toti Chriſtianiſmo, verum etiam principaliter ſanctæ ſuę Sedi, cuius confirmatio & ſtabilimentum vnicè dependet à conſeruatione & defenſione Iurium & priuilegiorum Coronæ Galliæ. Perſuaſum habeo, quod ſi Papa benè conſiderat, quod tota hæc diſputatio non niſi temporalia concernit, & non mores vel religionem, & quod inſenſibi-

ſenſibiliter omne noſtrum aurum & argentũ loco plumbi è Gallia Romam aſportat: id quod neq; ſub prima, neque etiam diu ſub ſecundâ Regum noſtrorum lineâ fiebat, & quod hæc omnia ad primam originem & naturam reuocari & redigi poſſunt, ipſum permanſurum in ordine & ſtatu, in quo ipſe & Rex noſter viuunt.

De quibuſdam actibus, quos Pontifices ad ſuum commodum trahere voluerunt, cum adiuncto diſcurſu veriſſimo de abſolutione Henrici noſtri Magni.

CAPVT III.

METVO ne Pontifices Romani in futurum ſe efferant & extollant cum præiudicio Regum noſtrorum innixi Ceremonijs, quibus vſus eſt Papa Clemens Octauus, cum daret benedictionem Henrico noſtro Magno, cum ſe in Eccleſiæ ſinum reciperet; & ne reputent talem actionem pro titulo infallibili & actu poſſeſſionis irrefragabilis. Nam illa omnia, in quibus vſque ad tempus præſens laborârunt, alium ſcopum præfixum nõ habuerunt, quam vt Pontifices ad ſummum authoritatis & honoris faſtigium, in quo iam ſunt conſtituti, peruenirent. Et prout valde aſtuti & callidi fuerunt, nullus eſt actus, quem non cum multorum aliorum iacturâ & damno (licet illi, qui ipſorum conſilia exequebantur, eò neq; per febrim, imò neq; cominus neq; eminus cogitârent) ad ſuam vtilitatem & eleuationem traxerint. Huius rei vobis hîc quædam ſpecimina monſtrabo. Regni Proceres à Pepino conſueti & in ſententiam ipſius tracti conſuluerunt Papam Zachariam, an deberẽt Regem nullius precij poſſeſſione exturbare & Regnum ad aliũ quempiam ad regnandum idoneum transferre. Et poſtquam Zacharias ipſis ſententiam ſuam communicaſſet, per Regni ſtatus fuit creatus Rex Pepinus, qui etiam vnà

cum Carolo Magno ſe curauit vngi, conſecrari & coronari per Papam. Et licet hic primus actus non eſſet niſi comunicatum conſilium, & ſecundus applicatus, vt hac ratione conciliaretur plus ponderis & authoritatis inuaſioni Regni, quam ſuper Carolum, dictum ſimplicẽ ſibi vſurpârant; Pontifices tamen accipientes hos duos actus pro titulo poſſeſſionis tranquillæ, exinde ſibi ſunt imaginati ſe poſſe Reges noſtros excommunicare, diſpenſare & abſoluere ipſorum ſubditos à iuramento fidelitatis, & transferre Regnum ad alium; ſe etiam ius habere coronandi, vngendi & conſecrandi Reges. Pontifices in ſuis aduerſitatibus Româ in Galliam tanquam in certum ſalutis aſylum ſe recipiebant. Anno milleſimo nonageſimo quinto Vrbanus Secundus ſecundum prædictorum exemplum in Galliam venit, vt eſſet in portu & loco tuto contra populum Romanum, à quo malè exceptus, & tractatus fuerat, & vt vlciſceretur excommunicationem, quam Imperator Henricus Tertius contra ipſum in Concilio Germaniæ vibrauerat. Ludouicus Craſſus cupiens Galliam magno procerum (qui Pepino & eius ſucceſſoribus fauentes ad ſummum authoritatis faſtigium peruenerant, & qui ipſi tot ſocij in Regno erant) cumulo exonerare, ſolicitauit Papam, vt Conciliũ vniuerſale in Galliâ conuocaret, & vt in eodem Nobilitatem & omnes alios excitaret ad bellum ſanctum, quos etiam promptos paratosq; inuenit ad iter trans mare ſuſcipiendum. Quanquam verò hoc non erat, niſi exiguum ſpecimen & officium, tamen inpoſterum hoc ipſo & ſolo facto & actu Papa & ipſius ſucceſſores ita ſunt abuſi, vt credant ſe poſſe pro libitu publicare cruciatas cohortes non tantum contra infideles, verum etiam cõtra Reges Chriſtianos & alios plures. Publicârunt eiuſmodi cohortem cruciatam contra Albigos, ad extirpandam, vt ipſi

vt ipſi prætendebant, hæreſin. Sed loco bonorum, legitimorum &ſalutarium remediorum, quibus vti debebant ad reducendos errantes in ſinum Eccleſiæ, implebant Galliam Narbonenſem & prouincias vicinas igne, ſanguine & clade, vbi nec virorũ nec fœminarum & infantum, nec nocentium nec iñocentium ratio & reſpectus habebatur. Annon Romæ propoſuerunt ſe Magno noſtro Henrico abſolutionem nõ eſſe donaturos, niſi prius à Papa illâ dignus agnoſceretur & iudicaretur? per hunc ipſum actum annon potuiſſent Pontifices prætendere, ſe Regna conferre? Annon firmiter perſtitiſſent in hac opinione erronea, niſi Oſſatus animo virili Papę & Cardinalibus dixiſſet: In tẽporalibus Reges noſtros non niſi ſolum Deum ſupra ſe recognouiſſe, quemadmodum hoc ipſum confirmatur per Papas in Canone recto, ſicuti etiam per declarationes, aliâs factas in Concilijs generalibus in cætu Clericorum & Eccleſiæ Gallicanæ: ſimiliter per ſumma Curiæ decreta, per omnium aliarum ſocietatum & facultatum, in Regno magnâ authoritate prædictarum iudicia, & per vocem & conſenſum omnium Gallorum. Quemadmodum igitur Pontifices peſſimè ſunt abuſi his actibus ad ſuam ſuorumq; eleuationem; ita non dubito, quin ſimile cum his ceremonijs ſint facturi: Verùm vt poſteritas probè intelligat & ſciat, fraudes & impoſturas, quibus Papæ vſi fuerunt, vt eo melius ſcopum præfixum aſſequi & intentionem ſalutarem procuratorum Regis præuenire & anteuertere poſſent, enarrabo vobis veriſſimam hiſtoriam, quę ſimul docebit & admonebit Reges & Principes, quam ſit periculoſum & damnoſum grauia negocia committere eiuſmodi farinæ homini, qui cæca, & impatienti ambitione eſt occupatus, & qui nihil aliud noctesq; diesq; quærit, quam vt ad magnos honores & dignitates eleuetur.

Cum Henricus noſter Magnus anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo quarto ſe Catholicum Apoſtolicum Romanum eſſe, ipſo facto declaraſſet, & anno etiam proximè ſubſequenti vniuerſam ferè Galliam iuſtis armis ſibi ſubieciſſet, Perronum & Oſſatum ſuo nomine ablegauit, vt benedictionem, quam à Papa recipere cupiebat, quemadmodum etiam reconciliationem cum ſancta Sede, impetrarent. Oſſatus, qui viginti annos & amplius in Italia fuerat educatus & verſatus, Perrono benè inculcauit, quod voluntas Papę promptior eſſet ad conferendam Regi benedictionem, quam Rex ipſe eſſet ad cupiendum eam, & quod propterea etiam benè cauendum eſſet, ne nimium ſe humiliarent: Nam patientiâ ſuâ ſe facilè acquirere poſſe talia, quæ non ſolum in Regis honorem, verum etiam in totius Regni Galliæ ſalutem redundatura eſſent: nam prout ille diù in Italiâ commoratus fuerat; ita dicebat ſe benè addidiciſſe & obſeruaſſe mores & humores Italorum: clima etiam Italicum ſubtiliora ingenia quam Galliam ferre: Italos etiam plus aſtutiâ & calliditate, quam alijs bonis medijs & conſilijs res ſuas agere: & quod ſi tempori ſeruirent, ſe facilè obtenturos eſſe, quod Rex ipſorum deſideraret: dixit etiam longè melius & conſultius eſſe, iacturam tẽporis, quam honoris Principis ſui facere, quod tum fieri facilè poſſet, ſi propter magnitudinem Principis ſui, ſeſe nimium ſubmitterent & humiliarent. Id quod etiam erat pulchrum, bonum & prudens conſilium viro tam venerabili & verè Gallo, qui honorẽ Regis & ſalutem Regni amabat, digniſſimum. Perronus & Oſſatus omnibus neruis & facultatibus contendebant, vt (ad inſignem ſimul gloriam ſibi acquirendam) Papæ benedictionem ſine vlla tamen iactura honoris & Maieſtatis Principis ſui obtinerent. Papa Romanus viciſſim ſuo loco eò laborabat,

bat,

bat, vt in conferendâ benedictione petitâ præeminentiam, quam aliâs ſemper prætendunt, quemadmodum etiam honorem, maieſtatem & dignitatem Pontificum ſimul augeret & magis magisq; hoc ipſo modo & medio confirmaret. Ab vtraq; parte nihil omittebatur, quod facere aliquid poterat ad extollendam, ſtabiliendam & confirmandam authoritatem ipſorum. Papa vt voti ſui compos fieret, vtebatur omnibus artificijs & medijs, vt ſic commoueret Regis Legatos, Perronum & Oſſatum ad diuerſas ſubmiſſiones, quæ Regibus noſtris præiudicare videbantur: Illi verò ſimpliciter recuſabant hoc & declarabant ſeſe nullis cõditionibus vel Ceremonijs externis, quæ ſaltẽ ſpeciem Regis ſui authoritatem minuẽdi vel obſcurandi præ ſe ferrent, ſubiecturos eſſe. Et quãuis factio Hiſpanica recõciliationem hanc deteſtabatur, Papa tamen omnibus medijs vtebatur, vt voti propoſiti compos fieret. Et quoniam videbat, ꝙ in Cõſiſtorio propter hoc ipſum negocium ad Sanctum Iohannem Laterani inſtituto plurimorum ferè Cardinalium animi ab hac reconciliatione valde alieni erant, ipſos tamen omnes ſucceſſiuè & vnum poſt alterum in ſuam ſententiam attrahere conabatur. Propoſitum hoc ſors valdè adiuuabat. Nam cum eodem tempore podagrâ laboraret, per ſuos procurabat, vt Cardinales ſucceſſiuè eum viſitarent & vt hac occaſione cum ipſis de negocijs Gallicis deliberaret. A Papæ partibus ſtabant Cardinales Toledus & Baronius, qui propter fauorem, quo Chriſtianiſmi ſalutem, pacem & tranquillitatem proſequebantur, magni ab ipſo æſtimabantur, & quos etiam ſemper ſecum habebat, vt rationibus ſufficientibus oppugnarent eos, qui ſe fortaſſis laudabili ipſius propoſito oppoſituri eſſent. Papa prudentiâ & bono conſilio impetrabat & efficiebat, vt omnes Cardinales pedibus in

eius ſententiam irent; diligenter enim ipſis inculcabat verba, quæ Neſtor pronunciabat, cum videret diſcordiam particularem, quæ in obſidione Troiæ inter Agamemnonem & Achillem excitabatur. O quanto gaudio, dicebat ille, afficientur Troiani, inimici noſtri, quando audient diſcordiam, quæ inter duos fortiſſimos Græciæ Principes eſt exorta: Ita etiam (dicebat Papa) ſciatis hæreticos in ſinu ſuo gauiſuros eſſe, quando audient, quod Pater & primarius Eccleſiæ filius in mutuâ diſcordiâ viuunt? Facere, quod inimici noſtri optant, quid hoc eſt aliud, quam ipſorum propoſitum promouere, noſtrum verò deſtruere; Quid dicetur, quando quilibet videbit, quod Eccleſia, quæ iure merito pacem conſeruare debet, contra ſeipſam diſſenſionem fouet & nutrit. Quemadmodum hæc pertinacia inimicos noſtros magno gaudio afficiet; ita nobis ruinam procurabit. Hæ admonitiones tam efficaces erant in Cardinalium animis, vt omnes tandem reconciliationem iſtam & laudarent & approbarent. Papa, vt ad obtinendum propoſitum ſuum Perronum & Oſſatum ad ſuam opinionem traduceret, eodem conſilio, quo Cardinales vicerat, vtebatur. Et quoniam videbat, quod ipſos duos vnitos non poterat commouere, vt ſe vlli cenſuræ Eccleſiaſticæ ſubmitterent, Perronum ad conuiuium aliquorum Cardinalium inuitari curabat: vbi ingenium hoc ambitioſum per particulares quoſdam diſcurſus ad tales conditiones, quæ videbantur afferre poſſe temperamentum aliquod inter Eccleſiæ dignitatem & Regum noſtrorum Maieſtatem, flectebatur. Et poſtquam Perronus ſuffragij ſui calculum conditionibus, quæ ipſi propoſitæ fuerant, adieciſſet, Papa in præſentia Perroni Oſſatum vocari curabat, vbi ipſis ex animo gratulabatur de eo, quod ipſi duo

duo vnanimi conſenſu conditionibus propoſitis ſe ſubieciſſent:addebat etiam hæc verba:Futurâ die Dominicâ negocium expedietur. Oſſatus verò regerebat,ſe nullâ ratione in dictas ceremonias conſenſiſſe. Sed Papa repetebat nihilominus hæc verba: Futurâ die Dominicâ. Cum Perronus Româ domum reuerſus eſſet,ad Regem ſe conferebat, vt ipſum de negocio commiſſo & expedito certiorem redderet & ſufficienter informaret, ſed amicus quidam mihi dicebat, Regem valde iratum fuiſſe humiliationi, qua die ceremoniarum pro impetranda benedictione vſus fuerat. Perronus reijciebat culpam in Oſſatum. Verùm proceſſus, quem ego vobis de vtroque recenſui, oculariter teſtatur, cui culpa imputari debeat. Hoc veriſſimum eſt, quod Perronus tam artificioſè & doloſe hoc negocium tractabat, vt Rex non niſi poſt biennium intelligeret, quomodo res transactæ fuerant. Illa omnia, quæ die benedictionis tractabantur, eò collineabant, vt Perroni ambitioni, qui pileum rubrum impetrare hoc modo conabatur, ſatisfieret. Nam contra opinionem & voluntatem Oſſati perſuaſionibus & promiſſionibus Papæ ſe abripi & corrumpi patiebatur. Id quod tale exemplum eſt, per quod Reges noſtri diſcere debent, quod benè expiſcari debent illos, quorum opera, ſtudio & conſilio in expediendis arduis & grauibus cum peregrinis negociis vti cupiunt: & quod benè conſiderare debent, an non eiuſmodi homines ſumptibus & cum dedecore ſuorum Dominorum proprium honorem & commodum quærere & procurare conentur, vt Perronus, qui poſtea Cardinalis factus fuit, fecit.

Poſtquam

tam in capite, quam in membris, vbi etiam Papa comprehenditur & includitur, quem Concilium ſępe depoſuit & alium in ipſius locum ſubſtituit. Quod Reges noſtri habent poteſtatem reformandi Eccleſiam, & conſeruandi ius ſuum, quando Eccleſiaſtici non adhibent debitam diligentiam, puritatem, & ſinceritatem in officiorum commiſſorum executione, & quando legibus, Regulis & Canonibus vitam & officium non conformant. Et hanc authoritatem Reges ſibi ſemper conſeruârunt & reſeruârunt, conuocantes Concilia Nationalia vel Prouincialia, vt corrigerentur & abrogarentur infideles multorum actiones & cōſuetudines vitioſæ, quæ ſucceſſu temporis latenter in Eccleſiam irrepſerant, quemadmodum per Concilia noſtra patet: Quod Papa nihil poteſt facere vel incipere, quod quatuor Concilijs œcumenicis & alijs in Galliâ approbatis, ſtatutis & iuribus Regis, Regni conſuetudinibus, iuriſdictioni temporali & Curiæ decretis contrariatur vel pernicioſum eſſe poteſt: Quod Galli ad cauſas ſuas agendum & iudiciô cum aliquo contendendum è Gallia Romam euocari nec poſſunt nec debēt, ſed hoc ipſum facere debent coram Iudicibus ordinarijs iure ipſo ordinatis & ad hoc officium electis, & in caſu appellationis coram iudicibus à Papa in Regni parte deputatis: Quod Papæ Legatus nō poteſt ingredi in Galliam, nec vti ſuis facultatibus, niſi prius à Rege literas impetrârit, quę cum literis ſuis commēdatitijs in Curia verificari debēt, audito generali Regis procuratore, ne aliquid fiat, quod poſſit derogare ſanctis decretis, iuribus & priuilegijs Regis, immunitatibus & libertatibus Eccleſię Gallicanæ, ſtatutis Regalibus & Curiæ decretis: Finaliter, omnes noſtræ libertates eò tendunt & hoc demonſtrant, quod Papa non poteſt iudicare de rebus temporalibus; & licet nos recognoſcamus

mus ipſum pro ſummo capite in ſpiritualibus, in Gallia tamen ſumma & abſoluta eius poteſtas non recipitur, ſed limitatur & reſtringitur per Canones antiquorum Eccleſię Conciliorum, in hoc Regno hactenus receptorum & obſeruatorum: Quod ſi etiam Papa aliquid velit moliri contra allegatos Conciliorum Canones, contra libertatem, pacem & tranquillitatem Eccleſiæ Gallicanę, contra bonum publicum huius Regni, contra ſanctas & veteres conſuetudines, contra contractus, leges, vſus & determinationes Eccleſiæ, & curiæ decreta, neq; Rex neq; eius ſubditi ipſi obedire tenentur. Nam quando vni vel alteri cõtraueniebant, antiquitus ad futurum generale Concilium appellabatur, quod Bullarum Papalium effectum ſuſpendebat. Poſtea appellabatur in omnibus, quę potius ad deſtructionem, quam Eccleſię ędificationem vergebant, & generaliter in omnibus, quæ immunitatibus noſtris erant contraria & damnoſa. Hæ appellationes in rei veritate nihil derogant prærogatiuis, vel poteſtatibus vel honoribus, qui Papę debentur, ſed conſeruant diſciplinam Eccleſiæ noſtræ Gallicanæ, & impediunt corruptionem, quæ alias ibidem latenter irrepere poſſet. Propterea etiam quando Pontifices videbãt, quod noſtri Reges omni ſtudio conabantur conſeruare libertates noſtras ſecundũ leges & ſtatuta, & quod ipſi pertinaciter in hoc propoſito perſiſtebant (id quod nihil aliud erat, quam impedire, ne Pontifices Gallię pecuniam & denarios Romam euocarent & transportarent) cũ Galliæ Regibus tranſigebant, & controuerſias exortas decidebant. Ita Leo Decimus tandiu laborauit, donec Rex Franciſcus Primus cum ipſo cõtractum erigeret, per quem quilibet habebat, quod quærebat. Henricus II. illum etiam continuauit. In conuentu Aurelianenſi prohibitum fuit, ex Gallia Romam aurum vel

argentum

argentum tranſmittere (id quod ſanctæ Sedi intolerabile eſt grauamen) ſed Carolus Nonus hoc iterum abrogauit. Ex eo tempore contractus ille ſemper fuit obſeruatus, ſed in comitijs in ciuitate Blois inſtitutis Anno 1577. fuit decretum, quod ſi Abbateiæ quædam vacarent, per religioſorum electionem ibi prouideri deberet. Et quia dicto modo res tranſactæ fuerunt vſque ad tempus præſens, exiſtimo Papam & Regem inpoſterum ita viuere debere, prout antea etiam fecerunt: & nihil quicquam noui eſſe proponendum vel incipiendum, quia vterq; eſt contentus. Poſt totum hunc diſcurſum ego dico, quod nos in Gallia recognoſcimus Eccleſiam Romanam pro primâ, vniuerſali & Catholica in eo, quod fidem & religionem Chriſtianam concernit: & noſtrum Regem pro tali, qui dignitatem ſacerdotalem & Regalem coniunctam habet cum inſpectione ſuper diſciplinam Eccleſiaſticam Eccleſiæ Gallicanæ, quoties Eccleſiaſtici officiũ ſuum non faciunt: & quod etiam Rex noſter, quando neceſſitas requirit, poteſt leges ſancire quantum diſciplinam attinet. Et propter hanc etiam rationem Papa & Rex, ſcientes id, quod quilibet facere & exequi debet, omnem debent mouere lapidem, vt non ſolùm pax & tranquillitas Eccleſiæ conſeruetur, ſed vt etiam contractus erectus, confirmatus & continuatus eodem modo, quo vſq; ad tempus præſens, inpoſterum etiam inuiolatè ſeruetur. Nam Papa frangens & rumpens dictum contractum, irreparabile damnum affert non ſolum toti Chriſtianiſmo, verum etiam principaliter ſanctæ ſuę Sedi, cuius confirmatio & ſtabilimentum vnicè dependet à conſeruatione & defenſione Iurium & priuilegiorum Coronæ Galliæ. Perſuaſum habeo, quod ſi Papa benè conſiderat, quod tota hæc diſputatio non niſi temporalia concernit, & non mores vel religionem, & quod inſenſibi-

ſenſibiliter omne noſtrum aurum & argentũ loco plumbi è Gallia Romam aſportat: id quod neq; ſub prima, neque etiam diu ſub ſecundâ Regum noſtrorum lineâ fiebat, & quod hæc omnia ad primam originem & naturam reuocari & redigi poſſunt, ipſum permanſurum in ordine & ſtatu, in quo ipſe & Rex noſter viuunt.

De quibuſdam actibus, quos Pontifices ad ſuum commodum trahere voluerunt, cum adiuncto diſcurſu veriſſimo de abſolutione Henrici noſtri Magni.

CAPVT III.

METVO ne Pontifices Romani in futurum ſe efferant & extollant cum præiudicio Regum noſtrorum innixi Ceremonijs, quibus vſus eſt Papa Clemens Octauus, cum daret benedictionem Henrico noſtro Magno, cum ſe in Eccleſiæ ſinum reciperet; & ne reputent talem actionem pro titulo infallibili & actu poſſeſſionis irrefragabilis. Nam illa omnia, in quibus vſque ad tempus præſens laborârunt, alium ſcopum præfixum nõ habuerunt, quam vt Pontifices ad ſummum authoritatis & honoris faſtigium, in quo iam ſunt conſtituti, peruenirent. Et prout valde aſtuti & callidi fuerunt, nullus eſt actus, quem non cum multorum aliorum iacturâ & damno (licet illi, qui ipſorum conſilia exequebantur, eò neq; per febrim, imò neq; cominus neq; eminus cogitârent) ad ſuam vtilitatem & eleuationem traxerint. Huius rei vobis hîc quædam ſpecimina monſtrabo. Regni Proceres à Pepino conſueti & in ſententiam ipſius tracti conſuluerunt Papam Zachariam, an deberẽt Regem nullius precij poſſeſſione exturbare & Regnum ad aliũ quempiam ad regnandum idoneum transferre. Et poſtquam Zacharias ipſis ſententiam ſuam communicaſſet, per Regni ſtatus fuit creatus Rex Pepinus, qui etiam vnà

vt ipſi prætendebant, hæreſin. Sed loco bonorum, legitimorum & ſalutarium remediorum, quibus vti debebant ad reducendos errantes in ſinum Eccleſiæ, implebant Galliam Narbonenſem & prouincias vicinas igne, ſanguine & clade, vbi nec virorũ nec fæminarum & infantum, nec nocentium nec iñocentium ratio & reſpectus habebatur. Annon Romæ propoſuerunt ſe Magno noſtro Henrico abſolutionem nõ eſſe donaturos, niſi prius à Papa illâ dignus agnoſceretur & iudicaretur? per hunc ipſum actum annon potuiſſent Pontifices prætendere, ſe Regna conferre? Annon firmiter perſtitiſſent in hac opinione erronea, niſi Oſſatus animo virili Papę & Cardinalibus dixiſſet: In tẽporalibus Reges noſtros non niſi ſolum Deum ſupra ſe recognouiſſe, quemadmodum hoc ipſum confirmatur per Papas in Canone recto, ſicuti etiam per declarationes, aliâs factas in Concilijs generalibus in cætu Clericorum & Eccleſiæ Gallicanæ: ſimiliter per ſumma Curiæ decreta, per omnium aliarum ſocietatum & facultatum, in Regno magnâ authoritate præditarum iudicia, & per vocem & conſenſum omnium Gallorum. Quemadmodum igitur Pontifices peſſimè ſunt abuſi his actibus ad ſuam ſuorumq; eleuationem; ita non dubito, quin ſimile cum his ceremonijs ſint facturi: Verùm vt poſteritas probè intelligat & ſciat, fraudes & impoſturas, quibus Papæ vſi fuerunt, vt eo melius ſcopum præfixum aſſequi & intentionem ſalutarem procuratorum Regis præuenire & anteuertere poſſent, enarrabo vobis veriſſimam hiſtoriam, quę ſimul docebit & admonebit Reges & Principes, quam ſit periculoſum & damnoſum grauia negocia committere eiuſmodi farinæ homini, qui cæca, & impatienti ambitione eſt occupatus, & qui nihil aliud noctesq; diesq; quærit, quam vt ad magnos honores & dignitates eleuetur.

Cum Henricus noſter Magnus anno millesimo quingenteſimo nonageſimo quarto ſe Catholicum Apoſtolicum Romanum eſſe, ipſo facto declaraſſet,& anno etiam proximè ſubſequenti vniuerſam ferè Galliam iuſtis armis ſibi ſubieciſſet, Perronum & Oſſatum ſuo nomine ablegauit, vt benedictionem, quam à Papa recipere cupiebat, quemadmodum etiam reconciliationem cum ſancta Sede,impetrarent. Oſſatus, qui viginti annos & amplius in Italia fuerat educatus & verſatus, Perrono benè inculcauit,quod voluntas Papę promptior eſſet ad conferendam Regi benedictionem,quam Rex ipſe eſſet ad cupiendum eam, & quod propterea etiam benè cauendum eſſet, ne nimium ſe humiliarent: Nam patientiâ ſuâ ſe facilè acquirere poſſe talia, quæ non ſolum in Regis honorem, verum etiam in totius Regni Galliæ ſalutem redundatura eſſent: nam prout ille diù in Italiâ commoratus fuerat; ita dicebat ſe benè addidiciſſe & obſeruaſſe mores & humores Italorum: clima etiam Italicum ſubtiliora ingenia quam Galliam ferre: Italos etiam plus aſtutiâ & calliditate, quam alijs bonis medijs & conſilijs res ſuas agere: & quod ſi tempori ſeruirent, ſe facilè obtenturos eſſe, quod Rex ipſorum deſideraret: dixit etiam longè melius & conſultius eſſe, iacturam tēporis, quam honoris Principis ſui facere, quod tum fieri facilè poſſet, ſi propter magnitudinem Principis ſui, ſeſe nimium ſubmitterent & humiliarent. Id quod etiam erat pulchrum, bonum & prudens conſilium viro tam venerabili & verè Gallo, qui honorē Regis & ſalutem Regni amabat, digniſſimum. Perronus & Oſſatus omnibus neruis & facultatibus contendebant, vt (ad inſignem ſimul gloriam ſibi acquirendam) Papæ benedictionem ſine vlla tamen iactura honoris & Maieſtatis Principis ſui obtinerent. Papa Romanus viciſſim ſuo loco eò laborabat,

bat, vt in conferendâ benedictione petitâ præeminentiam, quam aliâs ſemper prætendunt, quemadmodum etiam honorem, maieſtatem & dignitatem Pontificum ſimul augeret & magis magisq; hoc ipſo modo & medio confirmaret. Ab vtraq; parte nihil omittebatur, quod facere aliquid poterat ad extollendam, ſtabiliendam & confirmandam authoritatem ipſorum. Papa vt voti ſui compos fieret, vtebatur omnibus artificijs & medijs, vt ſic commoueret Regis Legatos, Perronum & Oſſatum ad diuerſas ſubmiſſiones, quæ Regibus noſtris præiudicare videbantur: Illi verò ſimpliciter recuſabant hoc & declarabant ſeſe nullis cõditionibus vel Ceremonijs externis, quæ ſaltẽ ſpeciem Regis ſui authoritatem minuẽdi vel obſcurandi præ ſe ferrent, ſubiecturos eſſe. Et quãuis factio Hiſpanica recõciliationem hanc deteſtabatur, Papa tamen omnibus medijs vtebatur, vt voti propoſiti compos fieret. Et quoniam videbat, q; in Cõſiſtorio propter hoc ipſum negocium ad Sanctum Iohannem Laterani inſtituto plurimorum ferè Cardinalium animi ab hac reconciliatione valde alieni erant, ipſos tamen omnes ſucceſſiuè & vnum poſt alterum in ſuam ſententiam attrahere conabatur. Propoſitum hoc ſors valdè adiuuabat. Nam cum eodem tempore podagrâ laboraret, per ſuos procurabat, vt Cardinales ſucceſſiuè eum viſitarent & vt hac occaſione cum ipſis de negocijs Gallicis deliberaret. A Papæ partibus ſtabant Cardinales Toledus & Baronius, qui propter fauorem, quo Chriſtianiſmi ſalutem, pacem & tranquillitatem proſequebantur, magni ab ipſo æſtimabantur, & quos etiam ſemper ſecum habebat, vt rationibus ſufficientibus oppugnarent eos, qui ſe fortaſſis laudabili ipſius propoſito oppoſituri eſſent. Papa prudentiâ & bono conſilio impetrabat & efficiebat, vt omnes Cardinales pedibus in

eius ſententiam irent; diligenter enim ipſis inculcabat verba, quæ Neſtor pronunciabat, cum videret diſcordiam particularem, quæ in obſidione Troiæ inter Agamemnonem & Achillem excitabatur. O quanto gaudio, dicebat ille, afficientur Troiani, inimici noſtri, quando audient diſcordiam, quæ inter duos fortiſſimos Græciæ Principes eſt exorta: Ita etiam (dicebat Papa) ſciatis hæreticos in ſinu ſuo gauiſuros eſſe, quando audient, quod Pater & primarius Eccleſiæ filius in mutuâ diſcordiâ viuunt? Facere, quod inimici noſtri optant, quid hoc eſt aliud, quam ipſorum propoſitum promouere, noſtrum verò deſtruere; Quid dicetur, quando quilibet videbit, quod Eccleſia, quæ iure merito pacem conſeruare debet, contra ſeipſam diſſenſionem fouet & nutrit. Quemadmodum hæc pertinacia inimicos noſtros magno gaudio afficiet; ita nobis ruinam procurabit. Hæ admonitiones tam efficaces erant in Cardinalium animis, vt omnes tandem reconciliationem iſtam & laudarent & approbarent. Papa, vt ad obtinendum propoſitum ſuum Perronum & Oſſatum ad ſuam opinionem traduceret, eodem conſilio, quo Cardinales vicerat, vtebatur. Et quoniam videbat, quod ipſos duos vnitos non poterat commouere, vt ſe vlli cenſuræ Eccleſiaſticæ ſubmitterent, Perronum ad conuiuium aliquorum Cardinalium inuitari curabat: vbi ingenium hoc ambitioſum per particulares quoſdam diſcurſus ad tales conditiones, quæ videbantur afferre poſſe temperamentum aliquod inter Eccleſiæ dignitatem & Regum noſtrorum Maieſtatem, flectebatur. Et poſtquam Perronus ſuffragij ſui calculum conditionibus, quæ ipſi propoſitæ fuerant, adiecisſet, Papa in præſentia Perroni Oſſatum vocari curabat, vbi ipſis ex animo gratulabatur de eo, quod ipſi duo

duo vnanimi conſenſu conditionibus propoſitis ſe ſubieciſſent: addebat etiam hæc verba: Futurâ die Dominicâ negocium expedietur. Oſſatus verò regerebat, ſe nullâ ratione in dictas ceremonias conſenſiſſe. Sed Papa repetebat nihilominus hæc verba: Futurâ die Dominicâ. Cum Perronus Româ domum reuerſus eſſet, ad Regem ſe conferebat, vt ipſum de negocio commiſſo & expedito certiorem redderet & ſufficienter informaret, ſed amicus quidam mihi dicebat, Regem valde iratum fuiſſe humiliationi, qua die ceremoniarum pro impetranda benedictione vſus fuerat. Perronus reijciebat culpam in Oſſatum. Verùm proceſſus, quem ego vobis de vtroque recenſui, oculariter teſtatur, cui culpa imputari debeat. Hoc veriſſimum eſt, quod Perronus tam artificiosè & doloſe hoc negocium tractabat, vt Rex non niſi poſt biennium intelligeret, quomodo res transactæ fuerant. Illa omnia, quæ die benedictionis tractabantur, eò collineabant, vt Perroni ambitioni, qui pileum rubrum impetrare hoc modo conabatur, ſatisfieret. Nam contra opinionem & voluntatem Oſſati perſuaſionibus & promiſſionibus Papæ ſe abripi & corrumpi patiebatur. Id quod tale exemplum eſt, per quod Reges noſtri diſcere debent, quod benè expiſcari debent illos, quorum opera, ſtudio & conſilio in expediendis arduis & grauibus cum peregrinis negociis vti cupiunt: & quod benè conſiderare debent, an non eiuſmodi homines ſumptibus & cum dedecore ſuorum Dominorum proprium honorem & commodum quærere & procurare conentur, vt Perronus, qui poſtea Cardinalis factus fuit, fecit.

Poſtquam

Poſtquam breuibus enarraui originem & progreſſum magnæ huius poteſtatis Pontificum: poſtquam etiam protuli immunitates Eccleſiæ noſtræ Gallicanæ, & recenſui actus, quibus cum præiudicio Regum noſtrorum Pontifices ad ſuum commodum & ſtabiliendam ſuam ſuorumque authoritatem peſſimè ſunt abuſi: hoc vnum adhuc addam & dicam: nempe, me non poſſe ſatis laudare Cenſuram heroicam, quam de doctrina pernicioſa & Regibus & Principibus damnoſa Sanctarelli Ieſuitæ Venerabilis noſtra Facultas Sorbonica publicauit, & quam nos hauſimus & didicimus à prima origine noſtræ Galliæ. Nam hæc ipſa Cenſura teſtatur, quod, licet Regnum noſtrum Galliæ valde ſit ægrotum & affectum, imò quaſi in mortis articulo conſtitutum ob & propter tot ſceleratas opiniones, (quas noui noſtri hoſtes infirmioribus cerebris inculcant) nihilominus de antiqua Doctorum noſtrorum ſtirpe adhuc reſtant quidam, qui florere & repullulaſcere facient Maximas, & ſtatuta quę Reges noſtros contra Pontificum conſilia & conamina defenderunt & conſeruârunt.

CENSVRA

Sacræ Facultatis Theologiæ Pariſienſis, contra poteſtatem temporalem Papæ.

DIE prima Aprilis, Anno Domini 1626. poſt Miſſam de Spiritu ſancto, habitis ſolenni more & vſitatis Comitijs in Aula Collegij Sorbonæ, de impio libro Sanctarelli Ieſuitæ, audita eſt relatio Doctorum ab eadem Facultate ſelectorum, qui expoſuerunt, in duobus illis capitibus, quæ ipſis notata fuerant, ſequentes propoſitiones contineri: Papam poſſe pænis temporalibus punire Reges & Principes, eosq; deponere & Regnis ſuis priuare

priuare ob crimen hæreſis: eorumq; ſubditos ab illorum obedientiâ liberare: eamq; ſemper in Eccleſiâ fuiſſe cõſuetudinem: Et non tantum propter hæreſin, verum etiam propter alias cauſas; vt pro delictis, ſi expedit; ſi Principes ſunt negligentes; propter inſufficientiam & inutilitatem ſuarum perſonarum. item: Pontificem ius & poteſtatẽ habere in ſpiritualia ſimul & temporalia: & hanc ipſam poteſtatem Papam habere iure diuino: credendũ eſſe, Eccleſię ſummoq; eius paſtori conceſſam eſſe facultatem puniendi temporalibus pœnis (Principes) qui peccant contra leges diuinas & humanas, præſertim, ſi crimen ipſorum eſt hæreſis: Dixerunt etiam, eundem Sanctarellum affirmare: Apoſtolos fuiſſe quidem ſubiectos Principibus ſecularibus, verum de facto & non de iure: item: ſtatim atq; conſtituta eſt Maieſtas Pontificia, Omnes Principes cœpiſſe illi ſubiectos eſſe: Breuiter: Retulerunt, authorem hunc explicare verba Ieſu Chriſti: Quodcunque ligaueritis ſuper terram, erit ligatum in coelis, &c. Non tantum de poteſtate ſpirituali, ſed etiam de temporali: ipſum etiam deprauare & corrumpere textum Sancti Pauli, detrahendo negationem: & affingere etiam authoribus à ſe citatis talia, quæ ipſis ne per ſomnium quidem in mentem venerunt; concludentes, hęc & multa alia, quæ retuliſſent, graui Facultatis animaduerſione & cenſurâ digniſſima eſſe. Re igitur in deliberationem à D. Decano adducta, auditis etiam omniũ Doctorum ſententijs, & votis ipſorum collectis & benè trutinatis, Facultas improbauit & damnauit doctrinam in his propoſitionibus & allegatorum capitum concluſionibus contentam, tãquam nouam, falſam, erroneam, verbo Dei contrariam, dignitati Pontificiæ odium conciliantem, & ſchiſmati largam portam aperientem, ſupremæ Regum authoritati à ſolo Deo dependenti de-

Matth. 16.

2. Cor. 10. Poteſtatem dedit nobis Dominus in ædificationem & non in deſtructionem.

rogantem, principum infidelium & hæreticorum conuerſionem impedientem, pacem publicam turbantem, Regna, ſtatus, Reſpublicasq; euertentem; breuiter, ſubditos à debitâ obedientia, quam ſuperioribus debent, auocantem, liberantem, & ad factiones, rebelliones & ſeditiones & principum parricidia excitantem. Datum in Sorbona, die & anno præfatis, & recognitum die 4. April. 1626.

De mandato DD. Decani & Doctorum ſacræ Facultatis Theologicæ Pariſienſis.

Signatum

P. H. BOVVOT.

PAPA

PAPA hac ipſa Cenſura valdè vlceratus fuit. Et quemadmodū Itali ſunt prudentes in cōſilijs ſuis; ita omnes ordinū Generales ad ſe venire curauit & ipſis iniunxit, vt omnibus Ordinum Doctoribus ſcriberent, vt ſe Lutetiā conferrent & omnibus Concilijs & conuentibus in Sorbonâ inſtitutis ſub pœna inobediētiæ & priuationis voti actiui & paſſiui in omnibus deliberationibus intereſsēt, ne aliquid admitteretur, quod ſupremam hāc poteſtatē iminuere & exautorare poſſet; vt etiā omnem lapidem mouerēt, vt Cenſura illa vel cū ſanguinis effuſione reuocari poſſet: Quod conſilium etiā in primo conuentu primo Iulij 1626. inſtituto probè fuit obſeruatū, vbi præſentes fuerūt viginti duo Monachi, qui omnes non niſi vnicum votum habuerunt ad impediēdum Cenſuram libri illius, pleni hæreſi & impietate. Huic Cabalæ Rex per idem Papæ conſilium obuiare & reſiſtere poteſt, ſi mandat & feriò iniungit omnium ordinum Prouincialibus, vt Monachos ſuos, qui Lutetiæ commorantur, vt Regis authoritatem minuant & totaliter deprimant, reuocēt; vel ſi ipſis prohibet quæſtionis huius à tot excellentibus viris ſolenniter deciſæ propoſitionem & impugnationē. Hæc ſunt media, quibus vtendum eſt, vt periculoſæ huic Cabalæ reſiſtatur: Verum vltimum & os & portā claudit nouæ huius doctrinæ emiſſarijs. Si boni hi Doctores cupiunt prçcauere, ne vlterius horū Cabaliſtarum miſericordiæ ſeſe ſubijciant, ex his duobus vnum ipſiś obſeruandum & faciendum eſt, vel, ne tot Monachi in ipſorū ſocietatem recipiantur, vel, vt ex quolibet ordine non niſi vnicus admittatur, qui votum deliberatiuum habeat in ipſorum Comitijs ſecundum ipſorum ſtatuta, & hoc ipſum per Curiæ decreta confirmari curare debent.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google